C. A. S.

SNIJDER

DE FORMA MATRIS CUM INFANTE SEDENTIS APUD ANTIQUOS

DE FORMA
MATRIS CUM INFANTE SEDENTIS
APUD ANTIQUOS

DE FORMA MATRIS CUM INFANTE SEDENTIS APUD ANTIQUOS

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI VOGELSANG

DOCT. PHILOS. ET IN FAC. LITT. ET PHIL. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI

SUBMITTET

GEERTO AEILKO SEBO SNIJDER

GELRUS E PAGO WINTERSWYK

DIE XII. MENSIS NOVEMBRIS ANNI MCMXX HORA IV

VINDOBONAE MCMXX

PARENTIBUS CARISSIMIS

Iam mihi civi academiae valedicendi Almae Matri tempus adest, iam studiis meis dissertatione hac pro gradu litterarum humaniorum doctoratus finem impositurus sum. Quod hunc gradum archaeologica praesertim dissertatione impetrare mihi licet, Tibi imprimis, Clarissime Bolkestein, promotor aestimatissime, acceptum refero, qui eius argumentum mihi commendavisti. Per curriculum meum academicum semper studii mei proprii rationem habuisti, quamquam satis longe interdum a partibus litterarum historiaeque antiquorum aberrabam. In componenda hac disputatione eadem erga me liberalitate usus meo modo studiis me incumbere passus es, semperque eruditione Tua atque auxilio semper parato frui mihi licuit. Pro his omnibus necnon humana Tua erga me benevolentia gratias Tibi ago quam maximas. Persuasum Tibi habeas me semper grato animo doctrinae Tuae atque institutionis memorem futurum.

Occasionem mihi gratam atque iucundam libellus hic obtulit, Vobis quoque, Professores mei, Viri Clarissimi † J. C. Vollgraff, Damsté, C. W. Vollgraff, Ovink, van Gelder, Schrynen, Obbink, Ligtenberg publicas agere gratias pro magna Vestra educationis meae atque eruditionis cura. Viri Doctissimi Rutgers van der Loeff, van Hoorn, permultum me Vobis pro institutione archaeologica debere memori mente profiteor.

Librum hunc parentibus sacrum volui, quo animum meum gratum erga Vos significarem, carissimi parentes, qui tacito affectu, magnis interdum difficultatibus viam academicam mihi aperuistis.

Gaudium mihi praecipuum duco, Clarissime Vogelsang, quod occasio mihi oblata est publice Tibi verbis dicendi, quod animo meo praesens semper et vivum scis. Quam firmissimo reverentiae atque amicitiae nodo Tecum coniunctus sim intellegere tantum qui bene norunt utrumque possunt. Lyceo Tuo historiae artium sodalem me assumpsisti, mox cotidiana consuetudine Tibi assistere me voluisti. Quantum Tibi quod ad rationem generalem ac viam scientiae attinet debeam, studiis meis quondam significaturum me idoneis iudicibus spero. Si quid doctrinae Tuae multiplicis, si quid Tui ardentis animi impetus mihi tradidisti, fore ut numquam Te poeniteat spero atque credo. Iuvenem me imperitum nil nisi promptam meam voluntatem afferentem per hosce annos in fidem Tuam atque in amicitiam recepisti. Mundum mihi patefecisti, viam mihi monstrasti qua me ipse paulatim cognoscerem.

Posthac quoque quod duce Te in artibus ingenuis versari potero, etiam atque etiam gaudeo. Persuasum Tibi sit numquam me haec omnia obliturum et si laetus hodie ex Tua auctoritate, Rector Magnifice, gradum doctoratus appeto, scito me summum honorem mihi ducturum discipulum tali magistro dignum inveniri.

Restat ut pauca dumtaxat de ipso libello dicam. Non sponte me linguam latinam optasse sed lege coactum ea usum esse libenter confiteor. Ab argumento enim meo prorsus abhorret. Omnes fere notiones, usitatissimae in artium historia, a bona latinitate alienae sunt, ita ut, cum eas in linguam latinam inducere vellem, barbare loqui iure viderer. Sin autem per ambitum verborum expressionem antiquis ignotam eleganter reddidero, fieri poterit ut nullus quamvis benevolus lector, quid haec sibi velint saepe vix enucleet. Qua de re nova verba interdum adhibere non contempsi; quae cum forma sua facile sensum praebeant, accuratius significanda non putavi. Cum verebar ne verborum ambagibus sententia periret, uncis inclusam belgice significationem adieci.

In componendo hoc libello Bibliotheca Rheno-Traiectina maximopere usus sum. Summam comitatem eorum qui libros studiosis procurant et gratissimis officiis me prosecuti sunt, grata memoria teneo.

I.

Introductio.

Ex iis, quae longe nostram temporum rationem antecedunt, saeculis relicta nobis cernimus monumenta, peritissima profecto manu facta, licet hominum illius aevi vitam, consuetudines, societatem, religionem penitus ignoremus. Inde quid haec monumenta significent, quid valeant, qui sit in artis historia eorum locus definiri nequit; digna propterea quae speciali animi attentione considerentur, quod generationum illarum longinquarum, quae nostram longe praecesserunt, historiae sola indicia extant. Haec inter nunc imprimis indicamus ea mulierum simulacra, quae extraordinaria se distinguunt crassitudine. Ubera, venter, nates, femora ultra normam extenta videmus, ita ut forma quaedam exhibeatur, quam in aliis artis historiae periodis vix inveniri licet. Rarus quidem artifex talem mulierem quandoque exemplum (model) sibi elegit [1]; hic illic in caricatura typum illum obviam habemus, sed communi corporis feminei canoni haud conformis apparet, quod eo magis notatu dignum videtur, quod in antiquissimis istis artis sculpturae conatibus typus ille steatopygus fere unicus existit. Ita partes genitales, ubera, quidquid mulierem exprimit, prominent, ut intentio ipsum sexum illum exhibendi manifesta videatur [2]. Exemplar, quod tempore neolithico in Aegypto factum reputatur, i. e. quinto a. Chr. n. millennio hanc opinionem possit confirmare. Mulierem cernimus steatopygam, formis plenis atque mollibus, stantem et infanti mammam praebentem. Infans, qui pedibus varicatis matris prominenti ventri insidet, ambabus manibus pectori admovetur [3]. Tales figurae cultum quendam mihi attestari videntur, quem „cultum matris" (moederdienst) vocaverim, et societatem arguere in qua ius quoddam maternum valebat. Frazero [4]) assentiens ius illud non intellego instar „matriarchatus", sed ius dico secundum quod consanguinitas iuxta lineam matris computatur („motherkin"). Quod ius obtinere poterat ubicumque paternitas incerta manere solebat, investigationi subrepta. Suspicari licet matrimonium illis temporibus nondum legibus moderatum fuisse, ita ut polyandria inter consuetudines vigeret; immo nexum fortasse intra copulam et partum ignotum fuisse, ut etiam nostris diebus apud gentes quasdam barbaras reperitur [5]. Nondum sermo est de relatione individui ad individuum, qua familia constituatur; alter alteri nonnisi corporali necessitudine aut ratione quadam oeconomica copulabatur, muliere nihilominus honorem quendam assequente, quippe

---

[1]) e. g. Dürer, Frauenbad. [2]) Huius typi exempla quae in Europa inveniebantur, periodo ut vocant quaternario adscribuntur, cf. e. g. Venus de Brassempouy, e. a. quae Hoernes, Urgesch. d. b. Kunst in Eur., p. 48 enumeravit signa. [3]) cf. Schuchardt, Alt-Europa, tab. XXV. 2. [4]) cf. Adonis, Attis, Osiris; p. 384 sqq., Hoernes, l. l., p. 88 sqq. [5]) cf. Frazer, l. l., p. 80 et 391; Dieterich, Mutter Erde, p. 32.

cui propaginis procreandae alendaeque cura incumberet. Mulier centrum est familiae, hereditas sequitur lineam maternam. In iis, quibus ius hereditarium moderatur, legibus etiam apud gentes, ceteroquin ius paternum agnoscentes, vestigia non obscura huius antiqui matriarchatus instituti inveniri plures viri docti consentiunt [1]). Illa autem de quibus supra dixi simulacra cum hac mulieris in praehistorico aevo condicione praevalente quodammodo cohaerere mihi persuasum est. Attamen nec tota eorum ratio nec prima hic quaerenda est. Hoc nempe vetat eorum, ut ita dicam, nota sexualis. Haec quidem et alteram suggerit hypothesin. Realisticis ferarum adumbrationibus, quas in praehistoricorum venatorum cavernis invenerant, magicam quandam vim subesse opinati sunt ethnologi: figendo nempe similitudinem ipsa fera putare se magica vi potiturum venatorem. Nonne quam cupiebat mulierem eodem modo suae potestatis facere conabatur vir praehistoricus? Ad quod quo stimulo sit actus ipsa illa simulacrorum „sexuali nota" satis manifestum. Nec videor mihi hac hypothesi fines illos excedere, ultra quos scientifica methodus procedere non sinit. Quidquid id est, intra virum et mulierem relatio fere tota erat in sexus differentia et inde nato appetitu. Testes quidem sunt mores barbararum gentium [2]).

Ex quadam analogia licet fortasse inferre praehistoricos homines, cum agros colere coepissent, mysterium nativitatis et mortis intellexisse ut circulum quendam, quem percurrere videbant arborum folia et agri fructus et ipsas hominum generationes. Omnes suos Terra mater genuit, aluit, tandem denuo in sinum recipit infantes. „Homo" et „Natura" non tam penitus separata fuisse videntur quam nostro aevo, ubi homo, naturae quasi oppositus, de ea cogitat, de ea loquitur quasi ipse extra eam, non ut eius pars existeret. Haec ingenua idearum vis, quae homini praehistorico attribui posse videtur, apud gentes incultas observari potest, immo viget in ea societatis nostrae parte, quae contactum non intermissum cum natura retinere potuit [3]).

Post haec praeambula transeamus ad antiquissima historiae tempora, ad gentes quae Mediterranei maris oras orientales colebant [4]). In terra Aegypti iam inde a primis temporibus nuda videbis mulierum simulacra, quae tamen non steatopygum typum referunt. In Chaldaea et in terra Elam apparent circa a. 2800 iterum atque iterum parva e terra cocta signa, quae circa a. 2350 formam certam atque fixam retinent, deae nudae nimirum Babylonis, stantis, cruribus cohibitis, brachiis in modum crucis supra pectus positis aut manibus ubera prementibus. In cylindris sphragisticis hic typus nobis frequenter occurrit. Inter gentes Syro-Hittiticas — ex auctoritate (invloed) haud dubie a partibus Babylonis et ab oris Aegaeis — hanc deam circa a. 2300 notam fuisse ex cylindris constat. In ipsis terris mari Aegaeo adiacentibus invenimus tempore neolithico (3000) nudas steatopygas repraesentationes, quae tamen durante periodo Mycenaeo ad formam rediguntur normalem: hic igitur „idoli" videmus quasi evolutionem [5]).

Haec dea nobis etiam occurrit infantem brachiis portans; exempla praebent duo sphragistici cylindri, quorum alter in Museo Britannico, alter in Museo c. t. Louvre servatur [6]). Hisce cylindris exhibetur dea sedens, ex obliquo situ (de profil) et veste induta; infans ex

[1]) cf. Frazer, l. l., p. 390 sqq. et eiusdem, Magic Art and Evolution of Kings, II, p. 271, 284. [2]) cf. Dieterich, l. l., p. 94 sq. [3]) cf. Dieterich, l. l., cap. I. passim; Frazer, Adonis, e. q. s., p. 34; Spirits of the Corn and Wild, I., p. 197. [4]) cf. Contenau, La déesse nue babylonienne. [5]) cf. Dussaud, Civil. Préhell, e. q. s., p. 361, fig. 267. [6]) cf. Contenau, l. l., fig. 126, 127, ubi duo talia exemplaria laudantur.

obliquo item situ et pro aetate nimis grandis exhibitus laevam matri admovet manum, caput toto orbe ad eam vertens. In museo Constantinopolitano servatur quoddam in Mesopotamia inventum signum e t. c., quod posterioris quidem aevi et auctoritatem Graecae artis satis manifestans, aperte tamen typum refert Deae Babylonicae; stat haec nuda, parvulum gestans, qui dextrorsum se vertens mammam dextram sugit; mater laeva manu infantem sustinens, dextra umerum eius laevum tangit [1]). In pago Tello inventum est aliud, Parisiis (Louvre) conservatum, signum e t. c. deae indutae veste, quae hinc inde late pandens ad terram usque pertinet. Brachio laevo infantem neglegenter adumbratum tenet, dextraque manu sustentat [2]).

In Aegypto iam tempore neolithico matris ubera praebentis effigiem extitisse novimus, quam a priscis temporibus iterum atque iterum ars Aegyptiorum finxit. Antiquissima quam cognovimus, oriunda videtur ex Abusir, ubi nempe invenitur exsculpta in sepulcro Sahu-re: stans dea Nehbet stantem coram se regem lactat [3]). Quia rex saepe repraesentatur sub specie Hori sugentis, hanc formam ex eiusmodi Isidis, regi ubera praebentis, repraesentatione pendere constare videtur [4]). Isis etiam occurrit in textibus pyramidibus insculptis (dyn. VI), quos textus antiquiores profecto reputare licet tempore, quo pyramidibus inscribebantur. Unde eruere licet typum deae stantis atque lactantis — dico nunc Isidis — ipsa Aegyptiaca cultura non esse seniorem et sine interruptione praehistoricam traditionem continuare. Antiquissimum Isidis sedentis Horum lactantis simulacrum ex aere factum Berolini asservatur. Dea repraesentatur sedens in terra, altero genu levato et Horum in sinu tenens sedentem. Adscribi debet anno circiter 2000; typus autem antiquior esse potest. Inde ab a. 1600 a. Chr. n. saepe occurrit Isis lactans atque in throno sedens; praeterea et aliae deae reges in sinu tenentes inveniuntur [5]). Licet antiquiora huius generis exempla non — quod sciam — supersint, tamen negare non ausim ea reapse extitisse; rarissime enim fit ut nova in Aegypto deorum forma prodatur; quin potius unumquodque genus deorum antiquissimum se exhibet. Quidquid id est, typum de quo nunc agitur post annum 1600 ubique in Aegypto certo notum esse infitiari non possumus.

Ars etiam Hittitica matrem cum infante nobis exhibet. In monumento quodam (stele) in pago Mar'asch [6]) invento, exsculptam habemus matrem sedili humili insidentem et gremio infantem gestantem, qui matrem respicit. Opus hoc, rusticum licet et neglegenter exaratum, satis clare tamen sequitur exemplar Aegyptiacum. Nemo non affirmabit nexum eius cum operibus huius generis Aegyptiorum, quorum subiectum aeque ac stilum imitatur. Huiusmodi opera tuto adscribas antiquiori periodo artis Hittiticae, i. e. $\pm$ a. 1500.

Pauca sufficiet dicere de arte Phoenicea, quippe quae ab arte externa tota paene dependeat. [7]) Elementorum Aegyptiacorum, Assyriacorum atque origine Syriacorum mixtio vix sinit discernere quid proprie Phoeniceum dici possit. Exemplo sint duae paterae quarum altera, ex aere facta, Olympiae inventa, in Museo Nation., Athenis asservatur [8]), altera vero argentea ex Praenestina necropoli effossa est [9]). Haec quater Isidem demonstrat inter lotos stantem et Horo similiter ante eam stanti ubera praebentem; illa Isidem exhibet in solio

---

[1]) cf. Contenau, l. l., fig. 54. [2]) ibid., fig. 55. [3]) cf. Borchardt, Grabdenkmal des Sahu-re, Vol. II. 18. [4]) cf. ibid., ubi plura exempla laudantur. [5]) cf. Perrot et Chipiez, I, p. 279; eiusmodi repraesentationes Babylone quoque reperiuntur, cf. Contenau, l. l., p. 124 sqq. [6]) cf. Ed. Meyer, Chetiter, p. 38, fig. 30. [7]) cf. Poulsen, Der Orient und die Früh-gr. Kunst, p. 1 sqq. [8]) cf. Perrot et Chipiez III, p. 783. [9]) ibid., p. 97.

sedentem et Horum parvulum lactantem. Eadem patera et nudam deam sua ipsius ubera prementem praebet. Elegantia artis Aegyptiacae magnam partem periit; deficit artem Phoeniceam, etiam ubi imitatur, imprimis compositionis vigor et concordia et unanimitas, quae inter singulas partes requiritur.

Haec industriae magis quam artis obiecta eo fine etiam lectori attento proposui, ut alteram quaestionem tangere possem, sc. num in exhibenda matre cum infante ars Graeca dependere dicenda sit ab Aegypto vel Oriente [1]). Talis ab Aegypto dependentia „a priori" non neganda videtur. Repraesentationem enim deae matris cum infante per totam Aegyptum inde ab a. 1500 notam fuisse compertum est. Attamen considerandum existimo repraesentationem hanc occurrere unam ex permultis vitae Aegyptiacae descriptionibus quas mira et inexhausta varietate composuere sculptores. Quarum rerum, sive ad historiam, sive ad domesticam vel ruralem vitam pertinent, nullam sibi assumpsit ars Graeca; itaque nec matrem cum infante assumpsisse dicenda est. Concedendum saltem est formam certo priscis illis temporibus non esse mutuatam. Et quantum ad ideam matris cum infante — haec ipsa tam communis est ut mutuari haud necesse fuerit. Reipsa, ante quam in Graecia Aegyptiaca ars quid potuerit, idea ista ibi assignari potest. Nec artis Phoeniceae monumenta, quae in terris Graeciae inventa sunt et VIII. sive IX. saec. a. Chr. n. adiudicantur, recta via vim suam in typum matris cum infante exercuisse videntur. Mihi saltem nulla nota sunt, quae iure comparari possint cum figura illa Isidis in patera Olympica. Negare quidem nolumus artem Aegypti et Asiae certis in locis fecundasse artem Graecam iuniorem; auctoritas earum interdum in curotrophi repraesentationibus ostendi potest. Verum tamen typum de quo nunc sermo habetur arti Graecae proprium esse mihi persuasum est.

In terra Aegaea iam plures huiusmodi nobis occurrunt repraesentationes et primum quidem mentio facienda videtur marmorei cuiusdam signi [2]) quod ubi inventum sit ignoratur, iterumque ex oculis elapsum est, ita ut nonnisi ex imaginibus nobis notum restet. Mater nuda brachio laevo tenet infantem, in gremio sedentem, cuius lumbos matris amplectitur dextra. Infantis crura in altum retracta, ita ut pedes ultimam sedis marginem tangant. Sic compositio congrua est lapidis structurae. Vultus fere triangularis, oculi altius quam par est locati, nasus longus et tenuis, membra quasi a carpentario colligata, in memoriam revocant „idola Carica" quae vocantur, i. e. parva e marmore simulacra nudarum plerumque mulierum quae circa a. 2000 a. Chr. n. orta esse videntur et saepe in Cycladibus in sepulcris inventa sunt. Monumentum autem nostrum periodo ulterioris evolutionis adcensendum arbitror et hoc loco id commemoro tamquam argumenti mei in Graecia continentali antiquissimis temporibus acute expressum exemplum [3]). Vim atque auctoritatem, quam ars Aegyptiaca exercuerit, iam supra reieci. Ex iis quae nobis servata existunt monumentis ante alia citandum est signum in urbe Karlsruhe [4]) asservatum. Deae corpus non ut membrorum compago sed potius ut lignum insculptum se exhibet; oculi tantum et nasus levi incisione notantur; brachia informia amplectuntur infantem, quem giganteum dixeris, brachio laevo matris insidentem et scapulam eius capite excedentem. Monumentum hoc III. a. Chr. n. millennio adiudicandum

---

[1]) sic apud Heuzey, Cat. fig. t. c. du Louvre, p. 9; Pottier, Rev. Arch. 1887, p. 134; E. Gardner, Naukratis, II, p. 55. [2]) cf. Le Bas, Voyage arch. tab. 123; Reinach, Rép. Stat. II. 259. [3]) cf. eiusmodi signa e t. c., Tegeae inventa; Martha, Cat. de Fig. en t. c. d'Athènes, 544; Lenormant, Gaz. Arch. 1878, p. 44. [4]) cf. Winter, Typenkatalog I, p. II, 3; Ohnefalsch-Richter, Kypros, tab. 87, 7.

esse opinor, periodo igitur quae dicitur aenea [1]). Inferioris aetatis est aliud e t. c. signum in Museo Britannico (A 133), deam exhibens stantem cum duobus infantibus, quorum quidem alterum pectori admotum, alterum dorso inhaerentem portat [2]). Ipsa mater, columna, latiore basi instructa est, quae rota figulari formata est. Vultus forma est impressus et brachia sunt adiuncta [3]). Infans vero vix non informis argillae massa, columnae adiecta, maternum illud corpus amplectitur. Hoc signum totum Phoeniceam artem indicat et ultimo a. Chr. n. millennio adscribendum videtur. Similis huic, quod ad corporis compositionem attinet, est dea cum infante, quae Parisiis (Louvre) asservatur [4]), sed nuditate magis ad typum appropinquat orientalem. Stili certo Cyprii est signum e t. c. in Palaestina inventum, etiam Parisiis (Louvre) expositum [5]). Dea nuda est et faciem in modo avis rostri informatam (vogelbekprofiel) exhibet. Infantem, simili facie praeditum et, brachiis adiectis exceptis, corpus habentem quasi virgam, brachio laevo mater pectori admovet. Typum hunc circa a. 1500 a. Chr. n. ponere libet. Alterum eius specimen exhibet figura e t. c., quam invenies apud Perrot et Chipiez, III, fig. 376. Matris laevum brachium sustentat infantem, dextra autem vas capiti impositum detinet [6]).

Praeter has priscas figuras stantes, sedentes etiam occurrunt, infantem gremio portantes. Aetate vix inferior quam figura supra memorata (Karlsruhe) est sedens mater in coll. Cesnola (New York) asservata [7]), cuius os et nasus et oculi levi incisione indicata sunt; aurium quaedam rudimenta apparent; brachiorum et manuum massae informes et parvae eminent. Infans sinui matris incubat a sinistra ad dextram versus, rigidus, cylindri speciem referens, nisi quod capite instructus sit (fig. 1). Schliemann [8]) talis „idoli" invenit fragmentum Tirynthe, tempori igitur Mycenaeo adscribendum. Mater infantem brachio laevo tenuit.

Seriem redigere omnium quae inventa sunt mulierum nudarum simulacrorum [9]) necesse haud putavi: quae memoravi sufficient. Compertum enim est tales figuras uniuscuiusque gentis culturae incunabula circumstetisse et ubicumque eandem fere ideam expressisse. Qua re demonstratur has figuras non esse unius determinatae gentis determinatam inventionem, quam ceterae mutuo accepissent, sed potius expressionem ideae universe viventis, naturae humanae quasi innatae, ideoque certo culturae stadio ubique et sponte se manifestantis [10]). Ut aliis verbis utar: agnoscendum est formam cum nudae mulieris, tum matris cum infante propriam esse cuique populo, apud quem iam temporibus remotissimis invenietur [11]). Singuli suo modo typum hunc elaboraverunt, non exclusa hic illic mutua auctoritate, qua peculiares inter se congruentiae fortasse explicandae sunt [12]). Nec obscuram puto significationem huius deae simulacri. Sive sola exhibetur, nuda, manibus subter pectus positis, aut ubera premens, sive cum infante — dubitandum non est quin deam genetricem et nutricem repraesentare intendat, virtutem quandam generantem, generataque nutrientem, verbo: matrem [13]). Quem ipsum sensum forma matris, typus curotrophi, maiore etiam vi affirmare videtur. Eiusdem

[1]) cf. Ohnefalsch-Richter, l. l., p. 273 et Intern. Monatschr. 1912, p. 994 sqq. [2]) cf. Catal of Terrac. Brit. Mus. [3]) cf. Journ. Hell. St. 1897, p. 165. [4]) cf. Contenau, l. l., fig. 120. [5]) ibid., fig. 78. [6]) cf. etiam M. Ohnefalsch-Richter, Intern. Monatschr. 1912, p. 994 sqq. [7]) cf. Cat. Cesnola coll., p. 334. [8]) cf. Tiryns, p. 175, fig. 85. [9]) cf. ad hanc rem Contenau, La déesse nue. [10]) Forma matris deae lactantis in Mexico quoque invenitur; cf. Bull. 28, Bureau Amer. Ethn. Mexican Antiquities, p. 369. [11]) cf. Contenau, l. l., p. 103 sqq.; Dussaud, Civ. Préh., p. 868 sqq. [12]) cf. Contenau, l. l., p. 122. [13]) cf. Contenau, l. l., Dussaud, l. l., Perrot et Chipiez, III, p. 351.

videtur aetatis ac mulieris nudae figurae esse. De cuius quidem cultu in terris Aegaeo mari adiacentibus pauca novimus, sed eius hic mentio fit propterea quod a priscis inde temporibus effigies eius invenitur in sepulcris et ideo nobis indicium praebet hanc deam inter et mortem, aut mortuos saltem, nexum quendam extitisse [1]. Vita et mors extrema sunt inter quae hominis versatur existentia et omnis natura movetur. Magnam matrem quae generat omnia, ad quam omnia revertuntur, non tam abstracte „Naturam" dicas, quam potius „Terram Matrem". Ideoque mihi haud incautus videor dicens in istis antiquissimis curotrophis expressam esse ideam Terrae Matris; quod eo verisimilius affirmari posse reor, quia in cultu earum, quae postea ut matres deae venerabantur, dearum — Demetera imprimis in memoriam revoco — non rara reperiuntur ritus huius chthonici vestigia.

Quidquid id est, iam satis est statuisse formam matris cum infante sedentis ad populos Aegaeos non ab aliis advenisse, sed ipsis esse propriam.

---

[1] cf. W. A. Müller, Nacktheit und Entblößung, e. q. s., Diss. Lips. 1906; quamquam concedit figuram nudam orientalem deam quandam effingere posse (cf. p. 52 sqq.), ut mere humanum typum illum ponit, et collatis concubinarum repraesentationibus Aegyptiacis, typum illum feminam quoque mortalem significare posse putat. Nudas feminae figuras Aegaeae originis potius ut concubinas quam ut deas considerat. Utcunque se habet res, cogitatum fertilitatis signis iis expressum esse credit (cf. p. 59 sqq.). Meo iudicio non satis earum matris cum infante repraesentationum rationem habet, quae quidem manifeste aliter interpretandae sunt.

II.

De formae „repraesentativae“ praehellenicae continuatione in arte Graeca.

Obscuris illis temporibus quae cultum Mycenaeum et Cretensem secuta sunt, ars non est oblita typi matris cum infante. In ipsa geometrica arte exempla nonnulla inveniuntur. Nota quidem mater cum infante in testa Dipyli, Athenis servata [1]). Mater gestus dolentis facit; infans ab ea remotus, extremis genibus eius insidens spectatorem respicit et brachia libere agit. Quodsi hic forte mater mere humana agnoscenda foret, aliter res se habere videtur si consideretur signum e t. c., Tanagrae repertum, geometricum stilum exhibens, quod Berolini in Antiquario (8361) ostenditur [2]), et aliud quoque quod, ut Winter docet, Parisiis (Louvre) invenitur et eiusdem originis censendum est. Matris lato gremio sedentis brachium laevum tenet infantem, qui in sinu eius stare videtur. A dextra eius alter infans cernitur. Qui autem brachio tenetur infans, caput ornatum habet voluto quodam, quod auctoritatem Aegyptiacam denotare possit [3]). Quam auctoritatem adstruere quidam conati sunt etiam quod ad testam Dipyli supra memoratam attinet [4]); minus recte, meo iudicio, nam quantum video nulla inter exemplum ibi laudatum (cf. etiam Perrot et Chipiez, I, fig. 175) et nostram repraesentationem existit relatio. Totus habitus atque modus se exhibendi prorsus inter se dissimiles sunt nec necesse puto ullam externam auctoritatem ponere. Statuimus enim tales figuras inde a priscis temporibus praehellenicis in usu fuisse, easque cum Graecis curotrophi repraesentationibus perpetuo contextu considerandas esse puto. Profecto non nego Aegypti artem nonnumquam auctoritatem quandam habuisse. Quod conspicuum est in signis e t. c. in Museo c. t. Louvre [5]) et in Mus. Britann. [6]) (A. 134) asservatis, e Cypro oriundis. Sed bene notes velim auctoritatem hanc Saitici temporis Aegyptiacam se manifestare in rebus minoris momenti, ut e. g. in faciei forma, in capitis ornamento, non in ipsa re. Hoc quidem matris cum infante thema longe antehac notum, nec quidquam in componendi ratione habet cum Aegypti simulacris commune. Antiquiorum figurarum matris cum infante Cyprus imprimis specimina reliquit. Quamquam omnes quae in Europae museis dispersae sunt figuras dicere nolo, quarum maior pars hucusque nondum edita est, seriem tamen fingere licet, quae quem cursum evolutio secuta sit satis apte demonstret. E. gr. signum e t. c., quod in Mus. Constantinopol. servatur, e Lindo in

[1]) cf. Annali 1872, tab. I. 3. [2]) cf. Winter, l. l., I. 5. 1., Ephem. Arch. 1888, t. IX; Hagae Comitis in coll. C. W. Lunsingh Scheurleer eiusdem schematis atque ornamenti signum e t. c. asservatur. [3]) cf. Arch. Anz. 1895, p. 127. [4]) cf. Jahrb. D. A. Inst. I, p. 118. [5]) cf. Perrot et Chipiez, III, fig. 144; Winter, I. 16. 5. [6]) cf. Cat. of Terrac.

insula Rhodo oriundum (Cat. Mendel 10), typum matris cum infante exhibet, qui si descriptioni credere licet, saec. VIII. adscribi possit et cum arte Cypria nexum quendam manifestare videtur. Ibi enim eadem forma invenitur, quae per ornamenta figurae adiecta, e. g. pectoralia (pendeloque op de borst) se distinguit. Antiquissima quae e Cypro insula cognovimus specimina matrem exhibent in cathedra sedentem: exemplar e t. c. servat Museum Neo-Eboracense [1]), aliud e lapide factum inventum est in area templi Aphroditae Naucratidi [2]), aliud e lapide calcario in pago Marion-Arsinoe [3]), aliud in Cypro insula item in area templi Aphroditae [4]). Totum matris corpus, natura voluminosius, circumdatum cernimus veste, quae caput quoque velaminis instar involvit. A collo monile in pectus dependet. Infans potius maiorem se exhibet. Et quidem Neo-Eboracense (New-York) specimen infantem monstrat omnino rigidum, superius erectum, inferius quasi immobilem et pannis involutum per matris genua stratum. Specimen autem quod conspicitur apud Ohnefalsch-Richter, t. 214, 9, exhibet infantem tam sinuose flexum ut ossaturam ei denegaveris; in forma litterae S corpus sinui matris insidens superiore parte erigitur a laeva, dum crura a dextra matris dependent. Haec laeva manu dorsum infantis sustinens dextram genibus eius imponit. Melius infantem exhibet specimen Naucratidi repertum, quod stilo quidem Cyprium censeo, sed per formam concinniorem et modum quo vestis a genibus ad pedes usque tractata est, Aegyptum sentire videtur. Laevam porrigit manum, dextraque matris umerum arripit, quod quidem ipsum Aegyptiacam auctoritatem significare videtur. Omnia haec opera VII. saec. tuto adscribuntur. Inferioris aetatis autem signum, quod in pago Marion-Arsinoe inventum est in tumulo VI. saec. Superior pars materni corporis nuda; risus qui vulgo „archaicus“ dicitur, magis indicatus quidem quam expressus, clare cum arte archaica nexum manifestat. Infans iniuria temporum multa passus est, sed nemo non videt eum flexis paulum genibus matris in gremium eo modo reclinari et ab ea sustentari quo in illis quae praecedunt figuris.

Documenti valor inest in XIV e lapide calcario signis, Cypri inventis, Athenis servatis in Museo [5]), matrem cum infante exhibentibus. Matrem himation vestit et velaminis instar — ut supra iam invenimus — peplus; infans in gremio sedet. Artem Graecorum auctoritatem quandam exercuisse negari nequit, sed ad res minoris momenti (bijkomstige details), ut ita dicam, hanc auctoritatem restringi concedendum est. Re vera hisce in signis antiquum illum et venerabilem typum fidelissime servatum esse agnoscimus. Cuius rei ratio alia non videtur esse quam ipsorum, qui talia sibi emebant signa desiderium, qui uno illo typo divinitatem expressam voluere. Hac de causa signum e t. c., Rhodi inventum [6]), quod inspectis rebus cum invento cohaerentibus (vondstomstandigheden) antiquius saec. V. haberi nequit, antiquiorem tamen typum exhibere constat [7]). Mater simplici insidet sedili et capiti „polum“ [8]) impositum habet, velamenque dependens. Brachio matris laevo sustentatus, gremio infans insidet, brachium in articulo flexum sublevans sinistrum, et crura, quibus dextra matris manus cir-

---

[1]) cf. Perrot et Chipiez, III, p. 377, Rev. Arch. 1869 (XIX), t. VI. 1. [2]) cf. Ohnefalsch-Richter, Kypros, t. 214. 8. [3]) ibid., t. 37. 8. [4]) ibid., t. 214. 9. [5]) cf. Rev. Arch. 1869 (XIX), p. 341 sqq. [6]) cf. Bull. Acad. R. Sc. et Lettres, Copenhague 1905, p. 98; nunc asservatur in Mus. Constantinopol. (Cat. Mendel 3365). [7]) cf. ibid., p. 94 sq. [8]) „Polos“ ille, quem saepe invenimus in statuis recensendis, affirmare videtur nos deam quandam ante oculos habere, quae summam (principe) Terrae Matris receperit, aut saltem cum eiusmodi repraesentationibus cohaereat; cf. V. K. Müller, Der Polos, Diss. Berol. 1915, imprimis p. 68.

cumponitur, a dextra dependent. Infans pro aetate satis magnus figuram puerilem minime prae se fert. Quodsi ex una parte „polos“ Orientem designat, ex altera parte matris vultus, oris angulis levatis, naso forti, mento lato quasi sigillum priscae illius archaicae artis impressum ostendit. Hic tamen memores simus oportet Phoeniceam etiam artem huius aevi eadem exhibere argumenta[1]). Signum e t. c. Ephesi inventum, nunc Constantinopoli servatum (Cat. C. 463) huc recensendum videtur, si descriptioni fidem habere licet. Antiquum typum penitus Graeco stilo expressum agnoscimus in parva e lapide calcario statua in Glyptotheca Ny-Carlsberg asservata, ad Paphum inventa[2]). Eiusdem stili ac corporis habitus, salvo infantis situ, hic facie ad spectatorem adversa redditi, est signum quod Magda Ohnefalsch-Richter communicavit, sed locum aut alia non designat[3]). Mater artisellio insidet, himatio et peplo, capiti imposito, induta. Habitum et formam infantis ab antiquissimo typo haud differre puto, sed informitas eius dissimulata est eo quod, excepto vultu, totus peplo circumdatur, quo matris quoque crura teguntur. Modus autem quo infans a matre sustentatur idem prorsus, quem in antiquis observavimus repraesentationibus. Caput infantis operit conicum quoddam tegumentum modo natis graecis infantibus solitum (fig. 3). Difficile sane talibus coram copiis (copieen) qualia haec duo signa se exhibent, tempus definire, quo facta sint. Vultus autem, oculorum praesertim factura indicare videntur modum, qui stilo archaico iam provectiori proprius est[4]). Si descriptioni fidere possum signum e t. c. ex Lindo in Museo Constantinopol. (Cat. Mendel 3412) ibidem collocare velim, una cum duobus signis e Coo, quae cum aliis multis, quae in Demetris sacrario inventa sunt, curotrophis Constantinopoli asservantur. (Cat. Mendel 1703, 1704[5]). Utrumque typum antiquum curotrophi exhibet, sed infans nudus gremio incubat.

Hic iam Graecae proprie dictae artis attingimus limitem. Vidimus qua ratione primaevus curotrophi typus temporum decursu sit evolutus, quem typum „repraesentativum“ evolvendum saeculorum quae sequuntur ars semper prosequetur. Hoc autem demonstrare nollem, nisi ad alteram seriem lectorem adduxissem, cui hunc locum reservavi, cum maior eius pars non ea chronologica ratione tractari qua quam exhibuimus series potuit. Hic nonnisi secundum typum classificare possum. Et primo loco ostendam signum e t. c., quod inventum est in tumulo Cyprio, aevi quod aeris dicitur (bronsperiode) et quod Neo-Eboraci servatur[6]). Infantem pannis circumvolutum voluminis instar matris genibus impositum videmus. Matris brachia indicata tantum sunt. Iam Capuae inter ea quae in sepulcris, alibi inventa sunt, etiam signum detectum est e t. c. (Brit. Mus. Cat. D. 229, fig. 71) stili omnino primaevi. Mater late cathedrae insidens, infantem involutum brachio laevo sustinet, dextramque eius cruribus imponit. Vultus forma, oculi sc. amygdalacei obliqui deorsum positi, genae satis plenae, nedum rusticae, similitudinem cum typo Cyprio indicant. Ratio autem qua monile collo impositum, quo sinus pannorum infantis vestisque, quae genua matris obnubit, elaborata sunt, non tam serium artificis animum quam potius officinae opus designat, ideoque hoc signum inferiori aetati adiudicare cogit. Documenti tantum valor huic signo inest. Iterum manifestat, quam supra iam memoravimus ementium voluntatem, servandi scilicet eum quem cultus sacravit typum antiquum. Religioni sicut commercio fides quaedam mutua subest. Unde et

---

[1]) cf. Perrot et Chipiez, III, p. 471. [2]) cf. Katalog 7. [3]) cf. Gr. Sitten und Gebr. auf Cypern, tab. 18. 2. [4]) Iniuria aut certe incautius M. Ohnefalsch-Richter hanc statuam ineunti IV. saec. („um 320 v. C.“) adscribendam putavit. [5]) cf. Arch. Anz. 1901, fig. 4. 14. [6]) cf. p. 5; Cat. Cesnola-coll. New-York, p. 334.

Athenis quae IV. saec. signata est moneta typum exhibuit, quem Pisistrati tempore iam induerat.

Eadem de causa multa quae Capuae inventa sunt signa e t. c. et e lapide multum adhuc e typis antiquioribus ostendunt servatum in habitu praesertim corporis, prorsus alienum ab iis, quae tempus quo ficta sunt requirebat. Quod tempus ut vultuum formae ostendunt aliud non est atque Hellenisticum. Prorsus antiquum dixeris, si habitum matris et infantis adspicis, id quod Reinach (Rép. Stat. IV, p. 157. 5) affert signum et valde Cyprio aevi aeris typo simile (fig. 2). Omnia talia sigilla eodem tempore orta esse nec negare, nec affirmare ausim et a chronologicis investigationibus abstineo. Sed Capuae evolutio ad typum Hellenisticum satis se manifestat. Vide sis Reinach, R. S. IV, 187, 4, ubi mens Graeca (de Grieksche geest) clarius se exprimere conatur in veste, quae matris crura circumsinuat, quamquam schema antiquum nondum penitus deseritur. Quod et observatum vides apud Reinach, l. c. 157, 1. Sed illa qua vestis elaborata est ratio sicut et sedis dorsum decussatis angulis instructum, artem denotant Hellenisticam. Huc adduco et statuam e lapide calcario, quam in fano Aphroditae Idalii inventam Museum Cyprium asservat [1]). Deam matronalem in cathedra sedentem videmus, quae more consueto infantem pannis involutum et supra memorato capitis tegumento munitum in gremio stratum tenet. Laeva fructum, ut videtur, ad umerum allevat. Alter maioris aetatis infans a dextra matris adstat, $^{3}/_{4}$ adversa spectatori facie; mater eum dextro brachio collum amplectitur. Ipsius matris caput et collum desunt. Vultus typus et plicatae vestis ratio, praesertim matris, manifestant nexum technicum cum provectioris aetatis archaica arte, immo V. fortasse iam saec. incipientis. Tamen — iterum dicere liceat — cum sinuum parallelismus in vesta matris, tum alter infans stans, sicut et alterius infantis elaboratio indicant antiquiorem prototypum hic quasi repetitum. Conferatur curotrophus ín Rev. Arch. 1869, XIX, t. VI. 1 (a dextra). Hoc quoque schema Capuae invenimus, sed Hellenistico sensu traditum (ut habitus et brachiorum motus stantis figurae indicant) in signo quod Reinach producit l. l., p. 157, 6. Hic infantem, qui gremio incubat, ad laevam eius extremam partem relatum cernimus. Reinach, l. c., p. 156, 6, demonstrat aliam statuam in qua magis remoto altero infante alteri locus fit, quorum corpora strenue ligata, alterum alterum obducit (oversnijdt). Hic autem typus eo tandem evolvitur et tamquam schema certum atque fixum servatur, ut infantes symmetrice matris latis genibus incumbant, ita ut utriusque pedes alterius pedes contingant, dum dorsum brachio matris sustentatur. Exempla reperies apud Reinach, l. l., IV, p. 157, 3; 157, 2; II, 260, 6. [2])

Praeter hanc quasi reduplicationem curotrophi compositionis aliam iterum duplicatam compositionem videmus Berolini, secundum stilum Capuae etiam attribuendam, quam comparare licebit cum typo Cyprio cum infante stante et cum Capuensi eiusdem subiecti. Videmus nempe (cf. Reinach, R. S. II, 260, 4) matrem throno Hellenistico insidentem, ambobus brachiis infantem involutum tenentem, dum utrique eius lateri insuper puer adstat. Numerus infantium pro re multiplicatur; Reinach, III, 80, 7; II, 260, 3; III, 80, 9; curotrophum exhibet cum 4, 6, 12 in modum flabelli distributis infantibus, qui pannis involuti partim in brachiis, partim in sinu matris retinentur.

---

[1]) cf. M. Ohnefalsch-Richter, Kypros, t. 37. 4; Magda Ohnefalsch-Richter, Gr. Sitten u. Gebr. auf Cypern, t. 19. 3. [2]) Hoc signum e t. c. Berolini asservatur; unde sit ignotum est, sed stilus totus Capuam demonstrat. Cathedra Hellenisticam artem clare indicat.

Inter haec et supra memorata signa e t. c. tertia series collocanda est, cuius specimina exhibent Musea Cataniae [1]), Parisiis (Louvre) [2]), Neapoli (in Mus. Nat. 6513 et 6099) [3]). Duo priora antiquum schema fideliter repraesentant, posteriora iam Hellenisticam artem designant.

Antiquissima matris cum infante forma imprimis repraesentativa erat: incorporatio quaedam ideae matris, infantem brachiis et gremio tenentis, relationem artiorem inter matrem et prolem exprimere nolens. Ars illa ad spectatorem se vertit, aliquid monstrat et demonstrat. Nihil istis temporibus invenimus, quod consilium aut conceptum artificis prodat matris exhibendae, quae tota infanti intenta non spectatorum gratia sed propter suam circa prolem sollicitudinem composita esse videtur et ipsi materni amoris voluptati tota debetur. Typum illum matris informem infantem, sive pannis involutum, sive nudum a laeva ad dextrum sinui rigide incubantem tenentis in Graeca quoque arte, et ultra inveniri videmus. Nec multum differt typus, qui infantem nudum exhibet, qui gremio matris ex obliquo situ insidebat aut incumbebat eiusque corpus in modo litterae S obducebat, ut inter alia „idolum Caricum“ [4]) iam demonstravit.

Hae duae formae — unius potius varietates — solae artis Graecae proprie dictae tempora praecesserunt. Iam videndum utrum et quomodo perstiterint et evolutae sint, et quaenam novae formae ab ipsa Graecorum arte creatae sint atque perfectae.

---

[1]) cf. Winter, l. l., I. 146. 1. [2]) ibid., I. 146. 4. [3]) cf. ibid., I. 147. 4 et 6; alia eiusdem generis specimina enumerantur. [4]) cf. Le Bas, Voyage archéol., tab. 123.

III.

De evolutione formae matris cum infante sedentis in arte Graeca.

Cum forma matris antiquissima, quam in praecedente capite repperimus, modus quo ars Graeca eam expressit atque perpetuavit, satis congruit. Formam illam mutata veste Graecis Hellenisticisque temporibus usque ad I. a. Chr. n. saec. conspicuam prosequi et percensere potui. Nunc, quomodo eam ars Graeca receperit, renovaverit, evolverit accuratius anquirendum.

E sepulcro ad Syracusas invento (med. V. saec.) signum e t. c. in lucem rediit[1], antiquam formam satis immobiliter rigido, archaico modo reddens. Fulcrum a posteriore parte affixum, ut artifex mulierem sedentem exprimere potuerit, efficit. Cathedra singularis, latum gremium, corporis formae ponderosae, brachia informis speciei, lassa, non amplius cernuntur. Hoc quidem opus, parum diligenter confectum atque celeriter, manifeste propriam quandam atque prorsus aliam totius contentionem (spanning van het geheel) demonstrat. Signum quoque e t. c., Berolini in Antiquario (7413)[2] asservatum, e Capua oriundum, antiquam formam valde imbutam Graeco spiritu monstrat. Huius speciei exemplum IV. fere saec. mihi adscribendum videtur, quamquam de vero tempore, quo hoc praesertim signum ortum sit nil certius affirmare ausim. Infans prorsus pannis involutus a vere viventis specie discrepat[3]. Matris figura compactam illam antiqui curotrophi typi formam in mentem revocat. Quinto quoque saec. signum e t. c. (Berolini in Ant. 8348)[4] e Boeotia oriundum, adscribendum videtur. Mater ambabus manibus infantem in gremio quiescentem nudum, parvi adhuc homunculi speciem reddentem, amplectitur[5]. Hic quoque forma antiqua prorsus Graeco modo expressa est. His enim temporibus ubique iuxta fideliorem antiquae formae reproductionem eadem ad rationem atque inclinationem temporum conversa apparet. Signum laesum matris cum infante, adultae pupae instar, Cypri in sepulcro inventum est[6]. Sinuum ductu, necnon molli corporis feminae mobilitate, IV. saec. adscribendum videtur. Quamquam commune tantum artificium ante oculos habemus, characteristica eius ad opinionem de tempore originis formandam sufficiunt. Mater infantem suum amplectitur eodem modo quem apud signum praecedens

[1]) cf. Kekulé, Terrak Sizil., p. 8; eiusmodi signum in Coll. Lunsingh Scheurleer, Hagae Comitis (Cat. 205) asservatur. [2]) cf. Winter, I. 147. 5. [3]) Quod cohaerere fortasse suspicimus cum illa pupas in curotrophi gremium deponendi consuetudine; cf. Heubach, Das Kind in der griech. Kunst (Diss. Heidelb. 1903), p. 6. [4]) cf. Winter, I. 29. 6. [5]) Quomodo ars Graeca propriam illam puerilem speciem paulatim ad veritatem effigere didicerit, Heubach, l. l. exposuit. [6]) cf. Jour. Hell. St. XII (1891), p. 315.

animadvertimus. Inferioris aetatis et quod ad formam attinet, III. potius saec. adscribenda signa e t. c. sunt, e Capua oriunda, ibique in Mus. Provinc. [1]) et in Coll. Pasquale asservata. Quamquam corporis habitus idem fere est atque in aliis operibus supra commemoratis, infantem tamen mobiliorem videmus, laevaque matris vestem captantem. Compositionis coartatio, omissa nota repraesentativa, manifestius apparet in signo e t. c. ex Asia oriundo, nunc in Museo Centrali asservato [2]). In gremio matris infans recubat, cruribus suis dextro matris brachio impositis; matris autem laeva caput eius fulcitur. In corpore fingendo infantis naturam reddere conatus est artifex, quod partim tantum ei successit, nam dimensionum moderatio adhuc quasi adulti videtur. Mater nudo ubere dextro (haec nos repraesentatio ad formam matris lactantis perducit), capite leviter sinistrorsum inclinato tenere infantem despicit. Alteram Hellenisticae artis partem prodire videmus, non pathos, non magnum gestum reddentem, sed modestam atque intimam felicitatem exprimentem. Manifestius fortasse id ipsum nos tangit in gracili illo sigillo Tanagraeo (Brit. Mus. C 278) [3]) quod describens iure Hutton „a Greek Madonna" appellat; sine dubio imprimis ei in mentem venerunt modestae atque intimae humanitatis exempla, quae magistri inferioris illius aetatis, qua litterae, ars, vita humaniores renatae sunt, ut Luca della Robbia, e. a., nobis reliquerunt. In artisellio sedens, mater, capite leviter ad dextram inclinato tenere despicit infantem, nudum, micantem, manus pedesque agitantem, virium suarum distributionis parum compotem. Caute eum utraque manu mater sustentat. Parisiis (Louvre 126) e Cypro asservatur signum e t. c. [4]), rustici operis, quod forma autem satis manifeste schema illud matris, cui infans in S litterae modo impositus est, reddit. Faciei forma, modus quo vestimenta sunt disposita, necnon singulae res (details), sicut monile e frustulis argilae impositis compositum, hunc typum ortum esse archaico tempore comprobant [5]). Cohaerentia cum habitu tradito apparet, sed in reddendo infante, qui forma ac dimensionum moderatione omnia prisci temporis propria significat, artifex brachiis sublevandis, vitam fortius se profitentem exprimere conatus est. In Hellenisticum modum conversum eundem reperio typum in signo e t. c., Paesti invento [6]). Mater, in cathedra sedens, chitone induta est ac peplo, qui capiti impositus amplis sinibus per brachia descendit. Utraque manu amplectitur infantem, a sinistra in gremio sedentem, amiculo indutum, quod caput eius contegens a tergo descendit et longo panno crura velat. Manibus infans fructum tenet. Parvum aeneum sigillum Parisiis (Bib. Nat. 146.) asservatum, ex aetate imperatoria ut videtur, idem schema significat [7]). Succinctus chiton Doricus, cothurni, pharetra ex umero pendens, Dianam (Lucinam) expressam esse approbant. Infans rigide in gremio eius sedet, a laeva sinistrorsum versus. Rude atque sine pretio officinae opus (fabriekswaar) esse videtur. Aliud signum e t. c. quod Agrigenti asservatur [8]), nobis in mentem revocat illud e Paesto oriundum, adiecta autem nova re. Mater dextram ori admovens, laeva mamma infantem lactat. Hac re autem ad formam matris lactantis perducimur. Parisiis (Louvre) asservatur signum e t. c. [9]), matrem cum infante prorsus peplo amictam reddens, dum caput tantum infantis e sinibus surgit. Hellenistico modo satis rigide hoc mihi signum idem atque

---

[1]) cf. Winter, I, p. 148. 2. [2]) cf. ibid., I, p. 142. 2. [3]) cf. Hutton, Greek terrac. stat., fig. 25; Winter, I. 141. 1. Eiusdem formae exempla cf. Petropoli (Eremit. 891E) ac Cypri in Museo. [4]) cf. Winter, I. 141. 9. [5]) cf. signum e t. c. Athenisin Polyt. 1087; Winter, I. 139. 5. [6]) Gerhard, Ant. Bildw., t. XCVI.; Gaz. B. Arts. 1880, I. p. 223. [7]) cf. Cat. e. q. s. p. Babelon et Blanchet, 146. [8]) cf. Kekulé, Terrak. Sizil. II., p. 19, fig. 39. [9]) Winter, I. 146. 5.

id, quod Hafniae in Museo asservatur, antiquum illum archaicum typum reddens, exprimere videtur (cf. p. 9).

Prorsus Hellenisticum et a tradito modo fere plane solutum erat signum e t. c. cuius fragmentum Parisiis (Louvre), Cypri inventum, asservatur [1]). Infans nisi quod caput nimis parvum videtur propria illa puerilia plane reddens, liber atque infultus in gremio matris sedet, a laeva parte. Itemque mediocre illud signum e t. c., Smyrnae asservatum [2]) non solum docet, quo modo ars Graeca problema corporis propriique puerilis reddendi solverit, sed etiam quomodo industria (kunstnijverheid) magnae statuariae artis imaginem receperit. Ut in illo infantis parvo corpore decussatim inter se directiones (bewegingsassen) obviae sunt, ut motus procedunt atque redeunt (gang en tegengang) ita vi intima atque ipsa natura eadem modeste se indicant, quae tam giganteo modo Pergami in Gigantum zophoro quasi coagulata sunt.

Altera monumentorum series, quorum evolutio initium quoque capit a typo, quem priscis Graecae artis temporibus adscribere debemus, „curotrophos" complectitur, quae adversa facie infantem prae se tendunt. Meo judicio ut primas huius typi repraesentationes considerare debemus permulta illa signa e t. c., matrem stantem reddentia, dum infans umero eius laevo insidet [3]). Hoc autem schemate antiqua „xoana" expressa erant; in arte statuaria nulla nobis exemplaria huius formae servata sunt; eo frequentius autem aetas inferior antiqua illa templi simulacra denuo generavit. W i n t e r in catalogo typorum multa exempla affert, quae quidem omnia citare haud ad rem videtur, propter eaquod omnia fere signa e t. c. stantem matrem reddunt. Initium faciam a signo e t. c. Roma oriundo (nunc Berolini in Antiq. 8313) [4]). Ut ex attributis, sc. columba et Erote, apparet, Aphroditam ante oculos habemus, modo saeculi IV. arte expressam. Infans umero eius laevo insidet, brachiis decussatim in pectore positis. Juxta eam ara et thymiaterium locata sunt. Templi simulacrum, xoani formam clare reddens, hic denuo reproductum esse videtur, quod nobis documento sit formam illam in arte Graeca non mutatam mansisse. Magnopere autem illam mutatam quoque esse alia sigilla e t. c. docent. Conferatur e. g. signum e t. c. in Museo Cataniae asservatum [5]), quod matrem semi-recubantem reddit, dum Eros laeva eius sustentatus in laevum umerum reclinat. Hic quomodo priscum atque rigidum schema Hellenistice conversum sit clare agnoscimus. Stilum rudem Capuensem, iam notum, signum e t. c. in Antiquario (7147) Berolini ostendit [6]). Infans, adversa facie laevo sublevato matris insidet brachio. Ipsa in sella humili sedet. Signorum e t. c. magna series [7]) matrem monstrat, lato artisellio insidentem, tunica indutam. In velaminis modo peplus capiti impositus infantem quoque circumdat, qui a laeva iuxta eam in solio stat adversa spectatori facie. Archaicum paulum, propter habitum modumque quo feminae coma pertractata est, signum e t. c. quod Athenis in Polytechnio asservatur [8]), e Megaris probabiliter oriundum, videtur. Mater habitu depresso atque immobili, oculos defixos ante se tenet, in gremio a laeva parte adversa facie infantem sedentem laeva sua amplectens. Eodem stilo idem schema reddit signum e t. c. Athenis oriundum nunc Hannoverae (Mus. Kestner.[9]) asservatum. Modus quo mulier sedet, in mentem illas Branchidarum statuas graviter in sellis haerentes revocat.

---

[1]) cf. W i n t e r I. 141. 6; cf. eiusmodi exempla Berolini, Ant. 6682. 44 et O h n e f a l s c h-R., Kypros, tab. 205. 5, et 37. 5. [2]) cf. W i n t e r, I. 142. 5. [3]) cf. H e u b a c h, l. l., p. 5. [4]) cf. W i n t e r, II. 6. 3. [5]) ibid., II. 200. 9. [6]) ibid., I. 147. 3. [7]) cf. G e r h a r d, Ant. Bildw. XCVI. [8]) cf. W i n t e r, I. 139. 3. [9]) ibid., I. 139. 1.

Haec quoque forma ipsa per se in arte Graeca evolvitur. Signa e t. c. Parisiis ac Berolini [1]) asservata matrem monstrant chitone indutam, arcte peplo amictam, infantem, hic quoque conicum capitis tegumentum gestantem, laeva amplectentem. Alvum quoque et crura infantis, plane adversa facie visa, peplo involuta sunt. In Coll. Calvert (Dardanellen) signum e t. c. e Troade oriundum [2]) eiusdem schematis asservatur. Infans paulum ex obliquo situ faciem plane ad spectatorem convertit. Partim himatio, matris capiti imposito, tegitur. Eandem formam, si descriptioni fides habenda est, signa e t. c. 1040, 1927 (Cat. Mendel) in museo Constantinopolitano asservata, e Lindo et ex Epheso oriunda, exhibent. Adscribenda videntur exeunti V. vel ineunti IV. saeculo. Hellenistico modo signum e t. c. 1928 (ibid.) eundem typum repetit. Hellenisticae quoque artis exemplum fragmentum in Museo Tergestino [3]) ostendit, ubi infans, himatio partim tectus, adversa $^3/_4$ facie redditus est. Eundem habitum signum e t. c. Cyprium in Museo c. t. Louvre [4]), faciei forma Cypriae propria artis significans, et illud in Mus. Brit. [5]) asservatum, quod stilo evolutae artis archaicae factum est, exhibent. Hoc parum tantum discrepat cum infans ad matrem magis se convertat, dextra collum eius amplectens, adversa tamen spectatori facie [6]).

Quamquam signum e t. c. in Polytechnio Athenis [7]) asservatum ipsum Hellenisticae aetati adscribendum est, continuationem tamen antiquioris archaici typi monstrat; mater infantem pannis involutum prae se tenet, ad medium corpus admotum, parum tantum sinistrorsum versum. Manifestius etiam formam hanc archaicam exhibet signum e t. c., e Myrina oriundum, nunc Parisiis (Louvre) asservatum [8]). Quamquam ipsum II. a. Chr. n. saec. adscribendum videtur signum, forma eius priscis archaicis temporibus orta est [9]), et cum xoani forma arcte cohaeret. Mater sellae insidens dependente himatio caput velata utraque manu infantem plane facie eius adversa prae se in gremio tenet.

Forma prisca hieratica huius typi, ut signum e t. c. Praenestinum quoque docet [10]), ubi mulier a laeva parte sedens infantem adversa facie sinibus himatii involutum tenet; Hellenisticis quoque temporibus immutata mansit, sed nihilominus ars Graeca eam recepit atque retractavit. Antiqua illa forma compositionis Christianae, quam „Thronum Dei" postea vocaverunt, admonet [11]); vix eam reperies in humano signi e t. c. habitu, Panormi asservati [12]). Intimam imprimis inter matrem et infantem relationem reddere conatus est artifex. Fragmentum quoque stelae funerariae Atticae, Hellenistica aetate (III. saec.) factae, nunc Athenis in Museo Nationali asservatae, idem schema eodem modo tractatum exhibet [13]).

Singularem traditae pompae atque ad temporum rationem accommodationis mixtionem signi e t. c. fragmentum in museo c. t. Louvre, e Cypro oriundum significat. Paulisper notam humaniorem putes matrem dextra pomum tenere, quasi cum infante ludentem, nisi severus ac rigidus deae habitus, itemque quod sola fructum quoque tenet, vetaret [14]). Revera, si accuratius aspicis nulla inter matrem et infantem relatio existit et Hellenistica videtur nota tantum, corpus infantis tam implicatis motus directionibus confusum esse.

---

[1]) Winter, I. 141. 2. [2]) ibid., I. 142. 4. [3]) ibid., I. 146. 7. [4]) ibid., I. 139. 7. [5]) ibid., I. 139. 6. [6]) cf. eiusm. signa e t. c. in Museo Constantinopol. (Cat. Mendel 382–384). [7]) cf. Winter, I. 142. 3. [8]) cf. ibid., I. 142. 6; ad ea, quae enumerat exempla, adiciantur signa e t. c. in Mus. Constantinopol. (Cat. Mendel, 2630–34, 2984–87). [9]) cf. Pottier et Reinach, Myrina, p. 154 sq. [10]) cf. Gaz. B. Arts 1880, p. 219; signum in Mus. Brit. D 234. [11]) cf. Kekulé, Terrak. Sizil., fig. 38. [12]) ibid., fig. 52. [13]) cf. Conze, Att. Grabrel. 1855. [14]) cf. Winter, I. 90. 1.

Adhuc in typis tantum, quorum evolutionem usque ad tempora praehellenicae culturae prosequi potuimus, versati sumus. Nunc autem quas formas ars ipsa Graeca novas creaverit, earumque mutationes quae sint, recensendum videtur. Imprimis illa artis statuariae opera consideremus, quae tantum inter se cohaerent, quod omnes a sepulcris proveniant, sive ut ectypa funeraria, sive in sarcophagis. Ectypon Leucotheae[1]), ut vocatur, archaici stili ectypon funerarium egregii operis, exeunti VI. vel ineunti V. saec. adscribendum, exhibet nobis matrem ex obliquo situ in solio sedentem, pedibus scabello sustentatis, chitone ac himatio indutam. Ambabus manibus infantem amplectitur, qui pedibus in gremio eius se adminiculans, manibus eius insidet, dextramque blandus ad eam protendit. De pedisequis non agendum videtur. In arte statuaria hic primum repraesentationem ex obliquo situ, ubi infans in matris gremio stat (nam stare quamvis sustentatus videtur) videmus. Inferioris aetatis artifices hunc typum mox dimiserunt. Sic ectypon funerarium Thessalicum archaici stili, sed paulo inferioris temporis, quod in pago Tyrnavo inventum est[2]), matrem iam exhibet infantem sedentem adversa ab ea facie, ex obliquo situ in gremio tenentem. In ectypo funerario III. saec., Athenis in Mus. Nat. asservato[3]) idem schema reperimus; infans autem adversa facie in matris gremio sedet, eiusque mentum blande permulcet. Aliud ectypon fun. Atticum, ibidem asservatum[4]), saec. IV., inter accedentes figuras mulierem sedentem exhibet, ex obliquo situ, utraque manu infantem tenentem, qui ex obliquo quoque situ visus, ad eam conversus gremio insidet, manusque ad eam protendit. Hic igitur schema antiquum liberius quam in ectypo praecedente tractatum est. Eidem fere tempori ect. fun., ibidem asservatum[5]) adscribendum videtur, ubi mater ex obliquo situ expressa utraque manu infantem jacentem in gremio suo tenet; ex adverso magnum vas funerarium positum est. Mirum est tam paucas in ectypis funerariis Atticis, quae vulgo tot cotidianae vitae res depictas (scènes) reddunt, matres cum infantibus inveniri, quin etiam numquam matrem lactantem expressam esse. Valorem videlicet generalem hisce operibus inesse communis opinio fuisse videtur, actionemque lactandi, quamvis propriam quod ad relationem matris cum infante attinet, in figuris exprimendis ut nimis fortuitam evitaverunt artifices. In recensenda matris lactantis forma ad eam rem redibimus.

Adhuc pro certo semper affirmare potui matrem cum infante mortalem repraesentatam esse. Nunc autem ad alteram monumentorum seriem, sarcophagorum scilicet, pervenimus, mythologicis praesertim repraesentationibus instructorum. Sic sarcophagi fragmentum, Romae in Villa Albani asservatum[6]), Dionysi a Nymphis Nysenis educationem nobis ante oculos ducit. Una ex iis cum parvo Dionyso ludit, qui adversa ei facie, sinistra mentum eius permulcet. Quod ad schema atque habitum attinet, conferas velim Conze, Att. Grabrel. 471. Hoc idem schema in sarcophago Romano collect. Walters (Baltimore)[7]) conspicitur.

Cum iis repraesentationibus cohaerere videtur infantis tradendi actio, cuius exemplar ectypon votivum Romanae originis, ineunte aetate imperatoria ortum, nobis exhibet. Compositio ipsa ex originali Atticae aetatis florentis artis statuariae ducta esse videtur[8]). Figura mulieris ex obliquo situ sedens utraque manu infantem pannis involutum accipit, qui ei porrigitur.

---

[1]) cf. Brunn-Bruckmann, 228. [2]) cf. Ath. Mitt. 1890, p. 199, t. VII. [3]) cf. Conze, l. l., 1854. [4]) cf. ibid., 471. [5]) cf. Conze, Att. Grabrel. I, tab. XXVII. [6]) cf. Reinach, Rép. Rel. II, p. 136. [7]) cf. ibid., II, p. 196. [8]) ibid., III, p. 174; Röm. Mitt. 1891, p. 177 sqq.

In arte quoque in usum versa (gebruikskunst) schema, de quo agitur, reperimus. In vase argenteo, in Thessalia invento, nunc Athenis in Museo asservato [1]), prima Dionysi pueritia in terra Nysa caelata est. Sub arbore in saxo sedet nympha, cuius alvus atque crura, genibus in altum retractis, pedis digitis tantum in solo positis, ex obliquo situ redduntur, dum thorax chitone indutus, pectore nudo, $^{3}/_{4}$ adversa facie, adspicitur. Sinistra Dionysum in genibus eius stantem sustentat, dextra gremio suo imposita. Opus circ. a. 200. a. Chr. n. ortum esse videtur. Non solum autem ad Septentriones, in Occidentem quoque schema, ex obliquo situ figuras reddens, pervenit. In speculo Etrusco [2]) ineuntis V. saec. ut videtur, id invenimus. Repraesentatio Aphroditae cum Erote fortasse, tortuosius reddita est. Imprimis enim artifex effectum decorativum appetivit. Cum compositionem in planum proiecerit (in het vlak projecteeren), infantis quoque habitus peculiaris factus est. Ad matrem se convertit, transverse in gremio sedens. Sinistra mater infantis crus dextrum retinet, laevum autem sinistro matris brachio impositum est. Thorax adversa facie redditus est, facies autem ex obliquo situ. Dextra infantem a tergo sustentat.

Vasorum pictura saepius in hoc schemate exprimendo versata est. Oenochoe, Vindobonae asservata [3]), Athenae nativitatem exhibet. Athena pusilla bellicosae deae figura stat, ab eo aversa in genibus summi dei, qui Graece Zeus vocatur, sellae plicatili insidentis. Interdum Eros sic fingitur. In vase Petropoli asservato [4]) eum videmus molliter gracili corpore incurvato procedentis instar, in mulieris gremio stantem, respicientem ad eam, sinistra umero eius imposita. Pronus in juvenis genibus stat in vase Berolini asservato [5]) (2706), et invitum se avertentem ad suam sententiam perducere, ad aurem ei argumenta sua insusurrare conatur. Sic innocens alatus puer Helenae gremio insidet, adversa ei facie, cruribus praeter laevum eius latus dependentibus, dum arte dolosa lubricaque cum ea ludit, in vase Berolini (3182) [6]) asservato. Hermes quoque cum Dionyso hoc schemate repraesentatus est in vase Nolano, Londinii in Mus. Brit. [7]) asservato. Saxo insidens ambabus manibus Hermes parvum Dionysum sustentat, qui adversa ei facie in genibus sedet et se convertens manus protendit. Commemoro tandem gemmam, Vindobonae asservatam [8]), quae Herculem exhibet saxo insidentem, Telephum parvum detinentem, dum is cum grue ante se stante ludit.

Ubi phantasia, ut hisce in operibus, religiosa traditione non vincta est, videmus quam libere ars Graeca illam materiam tractaverit atque evolverit. Ectypi aut vasorum picturae plani sua natura definiti ratione habita, omnes, quae fieri possunt, huius ex obliquo situ schematis compositiones expressae sunt.

In arte statuaria V. saeculi matris cum infante schema raro invenitur. Adumbratio, quam fecit Carrey a. 1674 [9]), nobis affirmat eo tempore in Parthenonis fastigio occidentali figuram mulieris cum duobus infantibus conspectam esse. Veste in medio cincta induta, humili sedili insidens, pedibus cohibitis, genibus passis adversa spectatori facie, dextra in gremio stantem puerum nudum sustentat, $^{3}/_{4}$ adverso spectatori pectore; sinistra autem manu corpus pueri minoris, iuxta eam stantis amplectitur. Quam quidem figuram Ges Curotrophi repraesentationem esse [10]) parum probatum mihi videtur, quamquam alteram, quam Furtwängler [11]) inter-

[1]) cf. Reinach, Rép. Rel. III, p 530; Ath. Mitt. 1912, t. 2—3. [2]) cf. Gerhard, Ges. Akad. Abh., t. LV. 6. [3]) cf. Reinach, Rép. V. P. II, p. 207. [4]) cf. Reinach, Antiq. Bosph. Cimm. III, p. 104, t. 52. [5]) cf. Reinach, Rép. V. P. I, p. 44; Arch. Ztg. 1873, t. 4. [6]) ibid. II. p. 113. [7]) cf. Reinach, Bib. mon. fig. II, p. 51. [8]) cf. Reinach, Pierres grav., p. 7 [9]) cf. Collignon, Le Parthénon, t. 54. [10]) cf. Roscher, I, p. 1577. [11]) cf. Meisterwerke, p. 236 sq.

pretationem commendat, quasi sit Orithyia cum duobis Boreadis expressa, pro certo affirmare nolim. Adhuc quaestio illa nondum soluta videtur. Item quae sit illa mater cum infante, quam Erechthei zophorus exhibet, nondum certo explanatum est. Saxo insidens ad dextram versa ex obliquo fere situ femina himatio induta apparet. Gremio eius a laeva ad dextram opposito axis momento (in tegengestelde richting van de as) adultus fere puer nudus insidet[1]. Opus artem Phidiae valde designat et cum eius discipulo Agoracrito nexu quodam cohaerere videtur[2]. Aliud ectypon Eleusini inventum, nunc Athenis asservatum[3] cognati schematis ac stili esse videtur. Quod Eleusini ortum est, compositionis in Erechthei zophoro fortasse interpretationem indicat. Nam Eleusini in centro Demetris venerationis donarium parvum inventum est, Demetera Coren in gremio tenentem reddens[4]. Hic quoque Demetera infantem Bacchum in gremio tenentem, ortam esse eiusdem mentis videtur. Anathema Eleusinium, valde laesum (capita desunt) mulierem humili insidentem saxo reddit, dum alteram adultam iam mulierem in gremio tenet. Relationem matris et infantis hic expressam esse mihi constare videtur, et Demetris ac Corae nomina certo in promptu sunt. Opus ut videtur, maius arte statuaria factum repetens, IV. saeculi stilum designat.

Hoc contextu duas in vasis, rubris figuris ornatis, repraesentationes omittere nolim. In vase quod vocatur „Vivenzio“ Neapoli in Museo asservato[5] post Troiam captam casus repraesentationem invenimus. Omni spe carens, manibus supra caput compositis Priamus arae insidet, quem Graecus miles necaturus est. In genibus eius, membris laxe remissis, capite resupino Astyanax mortuus iacet. Nudum adulescentis corpus, abdomine ac thorace incustodite inter se discompositis (met ongecontroleerde verschuiving van borst en buik tegenover elkaar), egregie expressum est. Est vas exemplum huius severi, rubris figuris decorantis stili. Aliud quoque vas, Neapoli olim servatum, quod nunc autem nusquam comparet[6], figuram sedentis mulieris, iuvenem semiadultum in gremio tenentem, dorso ei adverso, exhibet. Puer reclinat et laeva se sustentans, dextra matris caput amplectitur, eamque ad se attrahit atque osculatur. Educatione sua Nysena Dionysus perfecta domum rediit, matremque Semelen consalutat[7]. Hellenisticis tantum temporibus hanc repraesentationem ortam esse tam compositio implicata quam singulorum habitus approbant.

Curotrophum ipsam proxime reddens repraesentatio, sc. matris cum infante lactantis, quodam modo repraesentativi, quod adhuc tractavimus schematis, quo idea matris cum infante quasi incorporata est, varietas fortuita, in arte severioris stili Graeca non invenitur. Omnino mirum est quam paucas matris cum infante repraesentationes in arte statuaria invenimus; sed repraesentatio praesertim maxime naturalis matris et infantis relationis rarissima est, praecipue in V. saeculi arte atque superius[8]. Exeuntis V. saec. in pictura et industria primum inveniri videtur. Nonnumquam totus operis stilus superius tempus indicat; iam vidimus Hellenistico quoque tempore formas archaicas iterum atque iterum repetitas esse. Sin autem lactandi actionem apud has repraesentationes invenimus, inferiore aetate archaico stilo eam adiectam esse putemus oportet. Nihil enim est cur ponamus lactandi actionem ante V. saec. arte expressam esse. Ars quidem Aegyptiaca iamdudum eam novit; attamen vix

---

[1]) cf. Schoene, Gr. Rel., t. II; Reinach, Rép. Rel. I., p. 10. [2]) cf. A. v. Salis, Jhrb. Arch. Inst. 28, p. 24 sq. [3]) cf. Reinach, Rép. Stat. III, p. 202. 1. [4]) cf. Reinach, ibid., II, p. 517; Ath. Mitt. XX (1895), p. 359. [5]) cf. Reinach, Bib. mon. fig. II, p. 18. [6]) cf. Millin, II. 49; Reinach, Bib. mon. fig. II., p. 70. [7]) cf. Heydemann, Geb. d. Dionysos, p. 57. [8]) cf. Furtwängler, Coll. Sabouroff, ad t. 71.

credibile est artem Graecam inde typum illum petivisse. Nam prorsus aliter idea expressa est; inter Graecae atque Aegyptiacae artis formas nullam necessitudinem hoc tempore existere statuamus oportet. Est quidem Graeca ars hisce temporibus multo fortior, quod quidem auctoritas eius in arte Aegyptiaca semper crescens clare affirmat. Cogitatum autem ipsum omnibus hominibus nimis commune, nimis cotidianum, quam ut aliunde id translatum credas. Multo magis eo hic typus in artem Graecam prodit, quod ipsa alias regulas (richtlijnen) sequitur, quod aliud in ea studium se manifestat. Per IV. saec. atque Hellenistico tempore realistica quaedam studia (belangstelling) rerum nos undique cingentium, ita ut oculis nostris obveniant, magis magisque apparent. Iuxta cursum (strooming) illum „patheticum", ingentia atque violentia opera creantem, quae vocabulo „barok" appellamus, modesta quaedam ars intimam atque tranquilli animi partem vitae sibi elegit, eamque artificiis reddit, quae quasi supplementum formalis atque repraesentativae artis se exhibent; biformitas illa in litteris quoque clare se manifestat [1]).

Antiquissima lactantis matris forma valde cum archaico tradito typo repraesentativo cohaerere mihi videtur. Quam ob rem illam lactantis formam ex alio typo evolutam esse accipiamus oportet. Exemplo sit signum e t. c. in Antiquario Berolini (7150) [2]), e Capua oriundum. Statura matris compacta atque obesa, modus quo late throno insidet atque infantem laeva sustentat, dextra cruribus imposita, omnia insignia atque peculiaria sunt typi archaici bene nota. Novum tantum, quod mamma laeva matris nudata est, dum infans paulum ad matrem conversus lactatur. Quomodo autem id fiat artificis curam non movit. Idem ad signum e t. c., in Nummotheca Parisiis asservatum (5163) [3]), pertinet. Mater cathedrae insidens plane veste sua induta est. Laeva tantum mamma, cui infantem admovet, insigniter nudata est. Neque hoc, neque aliud eiusmodi signum e t. c., Tanagraeum, nunc Athenis (in Polyt. 822) asservatum [4]), relationem tam teneram matris et infantis ullo modo premit. In signo autem Parisino commodissime expressum est, quomodo infans laevam protendat, cupideque matris mammam arripiat. Minus rigidum signum e t. c. e Capua oriundum, nunc Berolini (in Ant. 7023) [5]) asservatum videtur. Typus repraesentativus plane omissus est, quamquam habitus dimensionumque concinnitas antiquas formas in mentem revocat. Capite leviter inclinato mater infantem despicit, laeva mammam eius arripientem. Eiusdem generis opus, quamquam rusticius informiusque, Romae in Esquilino inventum est [6]). Mentem quasi provincialem designat. Subtiliore auxilio artifex signi e t. c. in Museo Berolini (7148) usus est [7]). Gracilius apparet neque tam certo motu aut corporis habitu quam expolitione (verfijning) quadam generali, totum corpus permanante, melior expressio quaesita est. Hoc nos signum plane ad Hellenisticas formas expressionemque reducit. Eiusdem fere characteris atque expressionis atque illius sunt ea e Lindo oriunda signa e. t c., nunc Constantinopoli in Museo asservata (1033, 1034, 1036). Signum quoque e t. c. in coll. Calvert (Dardanell.) [8]) e Troade oriundum idem subtilius animi exprimendi ingenium exhibet, nescioquid vix accuratius definiendum; totius signi lineamentum, quomodo caput gestetur [9]), cautius manus prehendant, diligentius genua sustentent, ex his omnibus et aliis rebus compositum videtur. Audacioris,

[1]) cf. Wilamowitz, Gr. Literatur, p. 146 sqq. [2]) cf. Winter, I. 147. 7; eiusdem generis signa, Neapoli (Mus. Nat. 6517 et in coll. Pasquale) utrumque e Capua oriundum, asservata. [3]) cf. Winter, I. 147. 8. [4]) ibid., I. 139. 4. [5]) ibid., I. 148. 4. [6]) cf. Bull. Commun. XV. 1887, t. X, XI, p. 197; Winter, I. 149. 1 [7]) ibid., I. 148. 6. [8]) ibid., I. 142. 1 [9]) cf. Déonna, L'Expression des sentiments, p. 270 sqq.

validioris stili specimen, modo quo caput et thorax inter se disposita sunt, totoque corporis habitu erecto aliam originem prodens signum e t. c. in Esquilino inventum, nunc Romae (in Pal. Conservat. 2466)[1]) asservatum, videtur. Simplici et magno lineamento, clara dispositione multo magis hoc opus indicat nos maioris sculpturae operis, templi fortasse simulacri deminutionem, ante oculos habere.

Hanc operum seriem, quae omnia cum prisco typo repraesentativo cohaerent aut ex eo, ut supra demonstravi evoluta sunt, claudam duo memorando signa e t. c., quae huc pertinent, quamquam discrepante paulum modo composita sunt. Alterum e Myrina oriundum nunc Constantinopoli in Museo (2635) asservatur[2]). Stilus ac expressionis vis valde mediocris. Animi autem attentione dignum est quomodo infans surgens volubilis inter matris manus ad laevam mammam sugat. Hoc ceteroquin parvi momenti opus nos docet, quomodo nudum, mobile corpus reddere posterioribus a. Chr. n. saeculis communis res facta sit. Alterum e t. c. sigillum Parisiis (Louvre) servatum[3]), optimae notae opus, typum huius compositionis perfectum exhibet, quamquam hic quoque infans paulum surgit. Parvum opus artis, si imagini fides habenda est, III. saeculo adscribendum videtur. Absoluta certitudine intimam matris et infantis relationem reddit, dum illa felix, taciturna labori intenta, infantem sugentem summa teneritate amplectitur.

Altera quoque monumentorum series, quam nunc recensebo, quod ad typum pertinet a prisca forma repraesentativa derivanda videtur. Semper hic infans ad laevam matris mammam admotus est, sed matris cura actionis, nova re significata est: dextra eius non amplius cruribus infantis imposita, sed peculiari illo gestu, quo mater in sugendo infantem adiuvat, laevae mammae imponitur. Infans autem nunc, ut iam vidimus, manum sinistram ad mammam admovet, nunc manu aut brachio matris nititur. Relationem praesertim matris et infantis in omnibus his operibus premere artificis intentio fuisse videtur, qua de causa hanc formam priscam illam longius evolvisse puto. Nihilominus hac quoque in serie opera nonnulla extant, arcte cum archaico typo cohaerentia. Conferatur e. g. signum e t. c. in Museo Britannico (D 245), ex Italia oriundum. Mater noto illo gremio lato, pedibus longe dispositis repraesentatur. Catalogi descriptio ceteroquin nulla insignia praebet. Signum e t. c. in Museo Provinciali Capuae servatum[4]), ibidem repertum latam illam latae cathedrae insidentem matrem exhibet. Iterum me certa signa certo saeculo vindicare nolle dico: immo quando sit typus ipse ortus difficile dictu. Hic quoque commoneo hanc satis magnam monumentorum seriem variam Graecae artis evolutionem monstrare. Eadem illa minora sigilla e t. c. iuniora iuxta antiquiora indicia exhibent. Conferatur e. g. in Antiquario (7145) Berolini signum e t. c.[5]), e Capua oriundum. Species, sc. quomodo crura, thorax, vestis sinus tractata sint, priorem stilum indicare videtur, sed ut celeriter ac neglegenter confectum est signum, inferiorem aetatem indicat[6]). Notanda est curotrophi repraesentatio, Praeneste ut videtur oriunda[7]). Femina, quae nudato thorace infantem eo quem novimus modo lactat, velut revelata apparet: vestis eius velut picturae partem posteriorem (achtergrond) efficit. Ab utroque eius latere anguis surgit. De hisce attributis diligentius inquiremus.

---

[1]) cf. Winter, I. 149. 5. [2]) cf. ibid., I. 142. 9. [3]) ibid., I. 149. 3. [4]) cf. ibid., I. 147. 2. [5]) cf. ibid., I. 148. 7. [6]) cf. signum in Mus. Brit. Londinii (Cat. Terrac. D. 247.) [7]) cf. Gerhard, Ges. Akad. Abh., t. XLIX. 2.

Ea, quae e terra Italica oriunda artis opera cognovimus, semper fere ruditate quadam ingrata conspicua sunt, quasi essent pessimo sensu reproductiones. Quid, non quomodo repraesentetur artificem commovit. Ea autem, quae arcte cum Graeca arte cohaerent signa, quamquam officinae opera habenda sunt, vulgo clariorem artis intellectum, subtiliorem animi eruditonem exhibent et in reddendo suo themate uberiore fere qua sensum exprimant facultate uti solent artifices. Sic signum e t. c. in Museo Britannico (C 478) [1] asservatum mundum prorsus alium nobis patefacit. E Calymna oriundum, componere, quod ad tempus et typum attinet, id licet cum signo supra citato Berolinensi [2]. Sed quanto levior, quanto maiore vi elastica praedita apparet, quanto magis expressiva, quanto magis in unum contracta tota figura videtur. Idem pertinet ad signum quod in privata collectione in urbe Atalante asservatur, e Locride oriundum [3]. Notandum ceteroquin crus laevum leviter in altum retractum esse, quod documento sit hanc compositionem iterum iterumque ab artificibus pertractatam esse, eosque gradatim didicisse quomodo mater tota infanti vacet. Signum e t. c. Petropoli asservatum (Eremit. 879 F) [4] e Chersonneso Taurica oriundum etiam demonstrat quam bene Hellenisticae aetatis ars parva, intima, fortuita fere, perfecta certitudine reddere et ad communem paene auctoritatem (iets algemeengeldigs) attollere sciat. Hunc typum denuo obviam habemus in signo e t. c. invento ad pagum Mamurt-Kaleh [5], inter Templi Magnae Matris donaria, officinae opus Hellenisticae aetatis. Templi simulacrum hoc signo non effictum videmus; Magna Mater enim leonem in gremio tenens, interdum quoque nullis additis attributis effingi solet [6]. Si hoc signum cum iis ex Italia oriundis comparamus, multo magis exclusis fortuitis compositum id videmus. Lineamentum ad medium conducitur, ubi principalis lactandi infantis actio fit. Arti propius sumus quam industriae et quid ars possit, quamvis non sibi pepererint artifices ipsi, tamen quod ad mentem attinet, sibi arripuerunt. Eodem modo arcte compositum signum e t. c., Athenis oriundum, ibique in Museo Acropolis asservatum [7], apparet. Matris caput deest, pars inferior signi magnopere laesa est, sed media pars infantem lactantem exhibens, integra quam clare atque aequilibriter problema matris brachiorum, tenera infantis membra amplectentium solutum sit, monstrat. Signum e t. c., Roma oriundum, nunc Berolini in Antiquario (8217, 206) [8] asservatum notandum propter infantis habitum videtur: resupinus, pedes agitans a laeva matris mamma nutritur. Nobis monstrat, quam perfecte posterioribus a. Chr. n. saeculis ars infantis corpus eiusque mobilium membrorum peculiaria exprimere sciat.

Specialem in hac serie locum tenet vas Corinthium (in Antiq. 2913, Berolini) [9]. Quamquam non proprie est signum, hic id cito, propterea quod alvus eius tota in modo sigilli e t. c. tractata est. Sedili, quattuor rosis decorato, mulier insidet, partes inferiores et crura veste induta, quae semicirculi modo dorsum circumdat. In gremio adultum fere puerum tenet, eo modo quem novimus, eumque lactat. Corona hederacea eam unam ex Nymphis Nysenis esse denotat, pueri Dionysi nutricem. Hoc opus eo gravius est, propterea quod bona arte factum est ac certo primo IV. saec. dimidio adscribi potest. Parvum aeneum signum, Vindobonae asservatum [10], posterioris Hellenisticae aetatis, propter corporis habitum notandum videtur.

[1]) cf. Winter, I. 142. 7. [2]) ibid., I. 148. 7. [3]) ibid., I. 140. 4. [4]) cf. ibid., I. 140. 3. [5]) cf. Conze et Schazmann, Mamurt-Kaleh, D. Arch. Jhrb. Erg.-H. 9, p. 40. [6]) cf. v. Salis in D. Arch. Jhrb., Vol. 28, p. 100. [7]) cf. Winter, I. 140. 5. [8]) cf. ibid., I. 149. 2. [9]) cf. Furtwängler, Coll. Sabouroff, t. 71; Winter, I. 140. 1. [10]) cf. Reinach, Rép. Stat. II, p. 260.

Mulier humili sedili insidens, laevum crus protendit, dextrum autem paulum retractum, post laevum crus pedem dextrum monstrat. Corpus circum coxas sinistrorsum versum paulum pronum inclinatum est. Quae contrapositio satis manifesta mitigatur et quodam modo recipitur infantis corpore, quod in brachio laevo tenetur et utriusque motionis cursum (bewegingsas) coniungit, quo perpetuus quidam motus in forma litterae S oritur. Cum alia signa vulgo intimum magis quaerant, hac compositione problema statuariae magis artis solvere conatus est artifex.

Inter artis industriae opera hic tandem vas argenteum e pago Ingolstadt, Hellenisticae aetatis opus, nunc Monachii in Antiquario [1]) asservatum commemorare velim. Inter res post captam Troiam arte expressas, nonnullas mulieres cum infantibus Troianas invenimus. Excitata anxietate sortem futuram inter se iactare videntur. Paulum a latere femina, infantem lactans, humi conquiniscit. Summa autem animi attentione quae aliae pertractant, auribus captat. Optime hic matris actionis duplicitas expressa est. Solito modo infanti satisfaciens, cogitatis suis anxiis procul errat. Animi atque actionis aequabilitas (eenheid) rupta egregie efficta est.

In arte quoque statuaria nonnullas invenimus matris cum infante eiusmodi compositiones, quamquam rarae sunt et Hellenistica aetate factae. Statua nunc Cairi asservata, cuius caput deest, laesis quoque inferioribus partibus infantisque capite, parva tantum imagine apud Reinach (Rép. Stat. IV, 256) mihi innotuit. Isis cum Horo infante appellatur, quamquam dubium mihi nomen illud videtur, nisi nodum illum vestis in pectore, Isidi proprium, documentum putes, quem quidem imago apud Reinach agnoscere vix sinit. Alibi de hac statua fusius agam. Quidquid id est, certo opus Graecum Hellenisticae aetatis ante oculos habemus, quod quamvis non egregie factum, compositione sua, cum typo pertractato plane congruente, dignum videtur quod hic commemoretur. Vide sis crus laevum in altum paulo retractum, quo infans sustentetur. Magni momenti compositio illa matris cum infante, in Vaticano asservata (Mus. Chiaramonti 241) [2]) est (altit. 1.63 M.) Quamquam satis depolita (afgepoetst) atque in novum restituta est (nova sunt umerus dexter cum cirris, brachium et mamma d. (manus autem antiqua), laevi brachii pars inferior, infantis nasus, tergi pars, clunis laeva, pes et talus l.) compositionem nobis gravem clare exhibet. Dea, quae videtur esse, sellae insidet, paulum ad sinistram versa. Nudata laeva mamma, quam dextra premit, infantem genui suo laevo insidentem lactat. Is laeva sua manu eius articulum comprehendit, dum caput laeva matris sustentatur. In coma diadema gestat, post quod in capite parvum foramen rotundum conspicitur. A tergo statua rudis neque capitis pars superior caelata est, quod indicare videtur statuam factam esse ut adversa facie ac paulum ex imo contempletur. Templi fortasse simulacrum servatum habemus. Et re vera omnibus, quae mythologia praebuit, nominibus praedita fuit statua, donec generali illo curotrophi vel deae nutricis nomine acquieverunt archaeologi. Non dubium quin opus manifesta Graeca auctoritate ortum sit. Furtwängler [3]) Graeco-Campanum saec. I. vel II. esse putat. Amelung [4]), mollis formarum pertractationis, faciei formae, comarum ratione habita, cum Alexandria id cohaerere potius affirmat. In foramine capitis loti florem aeneum defixum fuisse verisimile putat, qua de causa fieri possit, ut Isis cum Horo infante Graeco stilo expressa sit.

---

[1]) cf. Brunn, Kl. Schriften, III, p. 101; Baumeister, Denkm. I., t. 14; Reinach, Rép. Rel. II. 77. [2]) cf. Amelung, Vatik. Skulpt. I., t. 48, p. 471 sqq. [3]) cf. Coll. Sabouroff, ad tab. 71. [4]) cf. Bull. d. comm. Arch. Comm. 1897, p. 110 sqq. et 134 sqq.

Compositionem paulum mutatam signa e t. c. nunc tractanda exhibent. Hic quoque infans laeva mamma nutritur et generale schema idem. Sed mater dextra non premit mammam sed vestem separat. Thorax vulgo magis vestitus apparet, ubere tantum nudato. Nostrae formae Hellenisticae sine dubio varietas est. Primo enim loco omnes huius schematis signa e t. c. manifestum stilum Hellenisticum indicant, deinde autem tantopere cotidianae vitae res (genreachtig) videtur, ut schema illud vix ante Hellenisticam aetatem ortum esse possimus putare. Primum hic signum e t. c. in Coll. Trau (Vindobonae) asservatum [1]) laudo, mulierem exhibentem, quae saxo vel neglegenter perfecto sedili insidens, crura partesque corporis inferiores himatio induta, dextra chitona separat ut infantem, pannis involutum, in brachio laevo iacentem laeva mamma lactet. Eiusmodi signum e t. c. in Antiquario Berolinensi (4996) [2]) asservatur. Corona comae imposita unam ex nymphis Nysenis designat, Dionysi nutricem [3]). Si descriptioni fides habenda est signum quoque e t. c. in Museo Constantinop. (cat. Mendel 1033) huc pertinet. Signum e t. c. in Antiquario Berolinensi (7388) [4]) asservatum mulierem exhibet cathedrae, scabello instructae, insidentem, laevum pedem protendentem, capite insuper imposito himatio velato. Infans nudus, pedes agitans in gremio matris iacet, cruribus et corpore valde contrapositis (in sterke contrapost). Hoc ipsum nos docet opus illud Capua oriundum, etiam quod ad schema attinet, Hellenistica plane aetate factum esse. Conferas velim signum e t. c. Musei Constantinopolitani (1922 d) eiusdem temporis et Amiso oriundum: implicatius enim infans, crus dextrum dextro matris brachio imponens, quam altera statua expressus est. Signum e t. c. in Museo academico artis, Bonnae asservatum [5]) feminam sellae humili insidentem, dextra manu vestis orae imposita, pedibus cohibitis exhibet. Laeva mamma infantem lactat manumque eius dextra sua continet. Infans ad pectus se abscondit, aversa a spectatore facie. Notandum est alam in umero infantis laevo clare agnosci posse, ita ut pro certo hanc compositionem Aphroditae atque Erotis esse affirmare possimus.

Rarius mater infantem ad dextram mammam admovens invenitur. Compositionem matris cum infante a laeva parte iam vidimus evolutam esse ex antiquo typo repraesentativo, ubi infans, capite laevae matris imposito, directus in gremio eius iacet, dum mater dextram suam infantis cruribus imponit. Ordine verso, i. e. capite infantis dextrae matris imposito, nullum inveni exemplum. Typi evolutionis ratione habita, formam ubi infans ad dextram mammam admovetur varietatem puto per analogiam alterius typi ortam. Exemplo sit primo signum e t. c. in Polytechnio (734) Athenis asservatum [6]), quod Athenis oriundum videtur. Quamquam non certo discernendum est, utrum infans lactetur necne, opus tamen tota compositione ac stilo proprium huius antiquis iam temporibus peractae conversionis exemplum est. Typum repraesentativum videmus mulieris, quae dextra infantem ad pectus admovet, laeva autem crura eius amplectitur. Artioris atque privatae relationis matris et infantis nulla vestigia inveniuntur. Matris facies typum fere operum statuariae artis, Olympiae repertorum exhibet, dum summa plane frontaliter expressa est. Haec statua igitur nos docet formam matris a dextra parte lactantis eodem fere tempore ortam esse atque illam magis solitam matris a

[1]) cf. Winter, I. 149. 6. [2]) cf. Gerhard, Ges. Akad. Abh., t. 80. 2. [3]) cf. Heydemann, Hall. Winckelmannprogr. 1885, p. 44. [4]) cf. Winter, I. 148. 5; cf. eiusdem generis opera Berolini (Ant. 7144), Neapoli (Mus. Nat. 6508, 6509, 6511), Parisiis (Louvre, Cab. d. Méd. 5162; cf. Biardot, Terres-c. funèbres, t. 20. 1) asservata. [5]) cf. Winter, I. 148. 3; cf. eiusmodi signum, Capua oriundum, in Mus. Comm. Rhegii asservatum. [6]) cf. ibid., I. 139. 2.

laeva parte lactantis. Multo rarior, ut iam diximus, est illa forma, sed nonnulla eius exempla posterioris, praesertim Hellenisticae aetatis tamen enumerari possunt. E. g. invenitur in Mus. Nat. Neapoli signum e t. c., quod matrem cruribus veste, per dorsum descendente, indutis, nudo pectore, insidentem cathedrae reddit [1]), dum dextra mamma infantem nutrit, qui crure dextro paulum retracto in gremio matris iacet, dextramque matris uberi imponit. Laeva mater dextrum infantis brachium complectitur. Eundem nobis exhibet habitum fragmentum signi e t. c. in Museo Constantinopolitano (1037) asservatum et e Lindo oriundum. Sigillum Tanagraeum e t. c. in Coll. Lecuyer [2]), matrem exprimit noto illo Hellenistico throno, cuius anguli palmae foliis (palmetten) decorati decussatim secantur, insidentem. Mater laevam sub mamma dextra, qua infantem lactat, habet, dum ille laevo brachio dextram suam imposuit. Hellenisticae prorsus mentis signum quoque e t. c., ex Italia oriundum, nunc Parisiis (Cab. d. Méd.) asservatum, est [3]). Mater sellae insidet, dextraque infantem, dextram mammam sugentem, sustentat. Vestimentum quo crura eius corpusque infantis circumdantur, ab umeris matris delapsum, magnis sinibus in sede iacet. Laeva cruribus infantis mater imposita, tenera cura puerulum paulisper quiescentem despicit. Signum in sepulcro Apulico inventum est, sed quid sibi velit repraesentatio difficile est dictu. Feminae capilli colligati sunt, sed incertum utrum capillorum reticulo an velo. Quod si velo factum esset, fortasse nutricem expressam esse putandum. Sed cur illud signum in sepulcro inventum sit, non perspicuum est.

E vasis pictis quoque nonnulla huc pertinentia exempla nobis servata sunt. Hydriam Atticam exeuntis V. saeculi, nunc Berolini in Antiquario (2395) asservatam commemoro [4]). Eriphyle Alcmeonem domi Amphiarai lactans effIcta est. Repraesentationem iam notam matris, infantem gremio suo insidentem laeva mamma nutrientis videmus. Ne proiectione in planum vasis lineis sibi suprapositis obscurior repraesentatio fieret, pectus matris ad spectatorem conversum est, dextrumque brachium paulum retro retractum. Ceteroquin nihil novi nos docet hoc opus. Eiusdem plane stili, ex obliquo situ matrem reddentis, repraesentatio in lamina plumbea, Myrinae inventa, nunc Parisiis (Louvre) asservata [5]), conspicitur. Intra circulos nonnullos parallelos feminam effictam videmus, sellae insidentem. In gremio infantem tenet, quem laeva mamma lactat. Laeva sua, quam laeva mater includit, se sustentat infans contra matris mammam. Ad crura matris caniculus insilit. Thema e cotidiana vita sumpta, totiusque operis stilus hoc opus secundo fere saeculo adscribendum esse indicat.

His signis recensendis praecipuas curotrophi formas, i. e. eas mulierem sedentem, infantem lactantem reddentes, pertractavisse videor. Non dico iuxta eas alias repraesentationes non inveniri. Nutricibus omissis stantibus, hoc loco e. g. Aphroditae, Erotem adultum lactantis, repraesentationem commemorare possum. Eam in cratere Attico IV. saec., in urbe Würzburg asservato, invenimus [6]). Aphrodite, saxo insidens, Erotem septem fere annorum puerum, magnis suis alis insignem, lactat. Genibus eius acclinatur. Eandem repraesentationem gemma, Petropoli (Eremit.) asservata [7]), opus Ionicum sub exeunte V. saec. factum, exhibet. Hic illic Eros laeva mamma nutritur. Quod quidem nobis novum quid ac mirabile videtur; regionibus autem meridianis saepius pueri, adulti fere, lactantur, quod nostris quoque diebus videre

---

[1]) cf. Winter, I. 148. 1. [2]) ibid., I. 140. 2. [3]) ibid., I. 149. 4; Biardot, Terres-c. fun., t. 20. 2. [4]) cf Reinach, Rép. V. P. I. 461 [5]) cf. Pottier et Reinach, Myrina. fig. 22, p. 210. [6]) cf. Mon. d. Inst. X 3. [7]) cf. Furtwängler, A. G., t. XIII. 4.

licet. Ad hunc autem typum conferantur, quae Pausanias (X. 25. 9) dicit, ubi apparet Polygnotum in Iliupersi sua Astyanactem parvum stantem lactantem depinxisse. Parvulum heroem pannis involutum effingere ars fortasse vetuit, sed gremio matris eum iuvenem imponere (ut e. g. in Erechthei zophoro fit) dignitas aeque non passa est [1]. Amphora Apulica, Dionysi pueritiam reddens, denuo formam rariorem praebet [2]. Nympha cathedrae insidet, cruribus partibusque corporis inferioribus prorsus ad dextram conversis, dum dextra Dionyso, qui iuxta eam a laeva parte cathedrae anaclinterio insidet, laevaque eius sustentatur, mammam laevam ministrat. Schema matris, infantem laeva mamma nutrientis et manum pectori suo imponentis pupa e Myrina oriunda in Museo Constantinopolitano asservata (Mendel 2673) [3] reddit. Notandum est feminam plane nudam effictam esse.

Hanc seriem concludere libet, si opus notatu dignum, in Mus. Acad. Bonn. asservatum [4] commemoro. Est exemplar nostris diebus e forma antiqua, circa a. 1860 Athenis reperta, nunc denuo ex oculis elapsa, expressum. Fragmentum paulum incurvatum est. In vasis ectypis ornandis fortasse eo usi sunt artifices. Feminam exhibet valde resupinam, chitone multicio peploque lato indutam. Inter genua eius nudus stat Eros alatus, quem cruribus complectitur, cum pedes cohibiti sint. Dextra Eros dextrum manus articulum mulieris retinet, quae inter caput alasque umeris eius imposita est. Secundum descriptionem, quam Kekulé [5] dedit, laevum Erotis brachium dextro mulieris tegitur, dum manus eius laeva umero mulieris imposita est. Laeva autem velamen a capite dependens femina reicit. Alter alterum intente aspiciunt. In imagine photographica non perspicuum num Erotis manus feminae umero imposita sit. Thorax quoque quomodo se habet vix laevum brachium tantopere in altum porrectum esse sinit, ut habitui descripto necesse sit. Quidquid id est, valde intima relatio videtur. Comparatae Aphroditae statuae Berolini et Neapoli asservatae [6] primo loco docent mulierem sine dubio Aphroditen repraesentare, deinde exemplum eius Aphroditae typum V. saec., sc. Parthenonis temporis fuisse. Amelung quidem, stili atque habitus ratione habita, non dubitat huius ectypi formam V. quoque saeculo assignare eamque a. fere 435 a. Chr. n. factam esse putat. Quam totam documentis instructam argumentationem hic repetere longum est. Schema huius operis a meae disputationis argumento proprie discrepat. Sed satis notatu dignum mihi videbatur propterea quod mentem (geestesgesteldheid), qualem potius Hellenistica aetate expectamus, expressit. Hae autem repraesentationes magna ex parte rariores typum proprie dictum non efficiunt. Diligentius eas examinare non necesse puto.

---

[1] cf Heubach, Das Kind etc. p. 34. [2] cf. Annali 1865 E; Heydemann, l. l., p. 40 [3] cf. Winter, l. l, I. 142. 10. [4] ibid. II. 198. 8; W. Amelung, Aphrodite u. Eros; Bonn. Jahrb. 101 (1897), p. 153 sqq. [5] cf. Arch.-epigr. Mitt. aus Österr. 1897, p. 11 sqq. [6] cf. Bonner Jahrb. l. l.

IV.

De evolutione matris cum infante formae in arte Hellenistica.

In iis, quae praecesserunt investigationibus saepius mihi copia fuit loquendi de monumentis Hellenisticis, quotiescunque eorum secundum typum ordinatio poscebat, ut non separatim considerarentur, sed potius ut typorum antiquiorum continuatio. Aliam mentem, quam ars illa manifestat, iam breviter indicavi [1]). Huius autem periodi culturam examinare, quaeque eam praecesserint aut quomodo se evolverit demonstrare profecto meum non esse puto. Hic imprimis quaenam ex Hellenisticis temporibus opera supra memoratis adicienda sint, quos typos ipsa ars Hellenistica creaverit, anquirendum videtur. Florentiae (Giard. B o b o l i) invenitur statua marmorea feminae cum infante, natura maioris (meer dan levensgroot). Mulier nonnisi inferiore parte corporis vestimento induta, saxo insidens, leviter inclinata ad puerum se vertit parvulum, nudum, in genu suo laevo crura pedesque agitantem et brachio matris laevo sustentatum. Dextra matris sublevata puero arcum ostendit, quem hic arrepturus videtur. Dextrum autem brachium restauratum est, sicut et pueri brachium dextrum, laeva, crura. Infantis corpus, quamvis laesum atque fractum, sicut laevum brachium authentica sunt. Matris caput, licet antiquum sit, ad corpus non pertinet [2]). Quamquam ex eo, quod puer nebridi insidet, erui posse videtur hanc statuam Dionysum cum nympha repraesentare [3]), alae dorso eius implantatae Aphroditen cum Erote potius designant [4]). Inveniebatur eiusmodi statua Romae (pal. Lante), quam semper interpretabantur ut Dionysum cum Nympha, quae autem sicut illa, Aphroditen cum Erote repraesentare videtur [5]). Nam hic quoque partes non parvi momenti in novum restauratae sunt: nec caput, nec superior pars corporis infantis, inde ab umbilico authentica sunt. Unde intellegas habitum eius a solito diversum, quippe quem potius sedere quam recubare dicas; neque alae num adfuerint affirmari potest. Difficile profecto est, tempus determinare, quo statuae huius exemplar (origineel) factum sit. Pueri quidem habitus similis puero, quem Hermes ille Praxitelis gestat, est ideoque statuam nostram post Praxitelem ortam esse statuamus oportet, in eius artis genere. Contra opinionem, quasi compositio illa Praxitelis fere tempore orta sit, argumentum praebent imprimis cutis sub pectore feminae graves rugae, dein vestimenti subtilis ratio, dum modus quo ludit cum infante, quo sedet mulier in saxo illo fortuito Hellenisticam iam artem praedicit. Quibus de causis huius compositionis exemplar exeunte IV. saec. ortum esse multo magis puto. Quo-

[1]) cf. p. 19. [2]) cf. Arndt-Amelung, E. A. 283—4. [3]) sic Heydemann, l. l., p. 44 et A. d. Seta Vita d'Arte, II., p. 167 sqq. [4]) cf. quae hac de re observantur in textu apud Arndt-Amelung, E. A. [5]) cf. Reinach, Rép. Stat. I. 374; A. d. Seta, l. l., ubi imaginem photographicam invenies.

modo vera Hellenistica ars eiusmodi thema tractet, compositio illa Aphroditae cum Erote et Psycha, Dresdae asservata[1]) nobis monstrat. Exempli gratia eam laudo, licet mater filium non in gremio teneat. Hic manifeste illud genus artis, quod hodie „genre" vocamus, prodire videmus. In statuis illis, Romae atque Florentiae asservatis, de authentica compositione incerti, illud quod hic „genre" sapit restauratori potius quam artifici adscribere velim.

Hellenistici plane characteris est statua — artis Graeco-romanae opus I. p. Chr. n. saeculi — quae Pana cum Dionyso repraesentat[2]); quod opus huc affero propterea quod idem fere argumenti genus (motief) exhibet. Ludens enim Pan parvulo Dionyso aliquid dextra sua obtendit, quod hic arripere sibi conatur. Quibus statuis etiam adiungere possum eas quae Romae (Mus. Chiaramonti, cf. p. 22) et Alexandriae (cf. p. 22) asservantur et iam praecipua Hellenisticae periodi opera, quae matrem cum infante exhibent, enumeravi. Numerus quidem parvus est; eo longior autem est series signorum e t. c. huius periodi, quorum tamen ea, quae alibi tractavi, huc repetere nolo. Sufficiet ea adicere, quorum notitia non neglegenda videtur.

Berolini Antiquarium (7651) servat specimen ex Asia (Kirkagatsch) oriundum[3]), eiusdem stili, quo elaborata videmus permulta ea Myrina oriunda signa e t. c., et exeunti III. vel ineunti II. saec. adscribendum. Mater sellae pulvinari instructae insidet, laevo crure retracto, scabello imposito; laevo brachio infantem nudum sustentat, quem lactavisse videtur mater. Laeva enim mamma adhuc nudata est. Infantem inquiete atque turbide pedes manusque agitantem mater vix ambabus manibus retinere potest. Ita autem matris superior pars corporis ad laevam vertitur ut angulum rectum cum infantis corpore efficiat. Vestimentum circa pectus et crura ita agitur ut ad puerum omnes sinus concurrere eorumque motus ibi requiem invenire videantur. Verum magistri hoc dicas opus, qui aequa ratione partes omnes in unum componens et tenera manu subtilem animi motum exprimens, typicum Hellenisticae artis specimen exhibuit, artem dico, quae altissima quaeque cordis ideo tam clare exprimere poterat, quia suam quisque vitam fortiter tunc temporis vivere audebat. Similem etiam pueri corpusculi amorem, et quo animi impetu regatur, nobis monstrat aliud fragmentum, Berolini in Antiquario (6413)[4]) servatum, ex Asia oriundum et tertium, ibidem (6228) asservatum, e Cypro oriundum[5]). Hoc autem artificis voluntatem potius indicare quam manifestare videtur. Sed sinuum vehemens motus et velamen quasi vento actum nullum circa tempus originis dubium admittunt. Derivatio tandem typi repraesentativi, ubi mater infantem iuxta se tenet (cf. e. g. Winter, I. 139. 1) fragmentum illud 6682. 45, Berolini in Ant. asservatum, e Cypro oriundum, esse videtur[6]). Ad spectatorem versus puer stat in genu matris laevo, cuius brachium eum sustentat. Sed incerto illi suppedaneo parum fidere videtur, quippe qui matris brachium et vestimentum quaeritet. Haec vero caput ad dextram partem leviter inclinat, dextraque manu fructum (?) ante pectus elevat, quasi cum puero ludere velit. Sic illa exhibetur inter matrem et infantem relatio intima, quae animum spectatoris movet. Huc etiam spectat fragmentum e Smyrna oriundum, Berolini in Ant. (6412) asservatum[7]).

Inter eos, de quibus hucusque tractavimus typos et quos antiquior Graeciae ars nobis reliquit, aliquis saltem, licet remotus, nexus interfuit. Hellenistica enim ars hoc quoque thema semper retinuit, sc. matris infantem in gremio tenentis. Sed liberius quoque illa thema illud et quasi per se aggressa est. Satis erit, ne longius ab argumento meo aberrem, nonnulla

[1]) Reinach, Rép. Stat. I. 351. [2]) ibid.. III. 21, Espérandieu, III, 2663; Arndt-Amelung, E. A. 1421 [3]) cf. Winter, I. 142. 8. [4]) ibid., I. 141. 7. [5]) ibid., I. 141. 10. [6]) ibid., I. 141. 4. [7]) ibid., I, 141. 3.

afferre exempla. Athenis in Museo centrali (248) invenitur signum e t. c., Hellenisticae aetatis, Aphroditen exhibens cum Erote[1]). Dea lapideo insidet scamno, quod dorso alto instructum est. Crura ad dextram versa sunt, quod reliquum est corporis ad spectatorem. Velamen, lato post eam sinu elatum — quasi vento, qui hanc artem „baroccam“ agitare solet — dextra manu removens, laeva, sedi imposita, se sustinere videtur. Iuxta eam, genibus maternis dimidio celatus stat Eros alatus; puer in eo est ut cruribus etiam matris vestimenta retrahat, ut eius tota mox appareat divina venustas. Vides qualem et quantam haec ars attingere potuerit dramaticam atque eroticam virtutem! Multa sunt quae Aphroditen in delphino equitantem exhibent opera. Quorum quod Antiquarium (8191) Berolini[2]) conservat, exempli gratia huc affero, quo demonstretur quomodo ars hoc quoque modo matri potuerit associare infantem. Exemplum quidem hoc qualitatis inferioris, aperte tamen ipso suo motu quo tempore factum fuerit, manifestat. Idem pertinet ad signum e t. c. in coll. Nervegna Brundisii asservatum[3]), quod Aphroditen anseris dorso vehentem exhibet, Erote comitante, qui eadem se gerit infantili audacia, quam pueris Hellenisticae artis propriam esse scimus.

Una cum matris amore exprimitur mulieris placendi studium signo e t. c. quod Athenis inventum, ibidem (in Mus. Acropol.) asservatur[4]). Sedens mater in genu dextro tenet infantem pannis involutum; pallium, caput et crus dextrum tegens, reliquum corpus nudatum exhibet. Sed quasi inopinatus advenerit spectator, mater vultum a puero avertens, quo nuditatem protegat, pallium gratioso pudore in suum locum restituere conatur. Haec matris, si dicere licet, et mulieris mixta exhibitio facilius quam in hoc, in illo signo e t. c. intellegitur ubi Aphrodite cum Erote repraesentatur aut e. g. in fragmento gemmae, quod Hannoverae (Mus. Kestner.)[5]) invenitur; opus hoc classicisticum, exeuntis aevi Hellenistici, Psycham ostendit, quae umeris et cruribus vestimento tecta, in nudo gremio dormientem tenet puerum Erota. In signo Atheniensi id potius miramur. Quasi derivatum quoddam a vasis Iliupersis repraesentatione ornatis, vas quod dicitur Lasimi, (in Mus. c. t. Louvre) apparet[6]). Sedili Hellenistico pedibus torsis instructo et scenographica (perspectief) ratione descripto, insidet Hecuba (?), maerentis prae se ferens speciem: in gremio eius iuvenis filii Astyanactis (?) cadaver brachio matris laevo sustentatum iacet. Collata cum altera eiusmodi repraesentatione in vase, c. t. Vivenzio (Neapoli asserv.)[7]) nihil praebet quod latius de ea disseram. Opus est quod Italograecus quidem artifex, aevi imperatorii initio, manu potius imitante quam creante, satis apte exaravit.

Novum vero typum ars Hellenistica creavit: nutricem dico. Iam inde ab Homeri temporibus saepius fit eius mentio; in tragoedia partes non minores agit, et familias, quae meliore condicione gaudebant, saec. V. utilitate eius frui scimus. Plerumque e servis sumpta, male audiebat: ligurritioni indulgebat, intellectu carebat, garrulitas eius proverbii loco celebrabatur. Distinguebatur vero a proprie dicta nutrice ea, quae non lactabat, assa. Quid mirum, si Hellenistici aevi artifices, quibus domesticae vitae intima ratio tantopere placebat, simplici illo et prope rustico movebantur nutricis aut tutricis agendi modo, earumque cum stabilitate infantuli labilitatem componere studebant. Funebria Attica monumenta iunioris aetatis tales

---

[1]) Winter, II. 201. 5. [2]) ibid., II. 195. 5; cf. Arch. Anz. 1889, p. 90. 8. [3]) ibid., II. 193. 9; Bernoulli, Aphrodite, p. 407; Arch. Ztg. 1858, p. 234, n. 1. [4]) cf. Winter, I. 140. 7. [5]) cf. Furtwängler, A. G. XLII. 36. [6]) cf. Reinach, Bib. mon. fig. II., p. 64. [7]) ibid., II., p. 18.

iam mulieres quandoque exhibent. Exemplum praebet stele funeraria, saec. IV., quam olim Le Bas vidit Athenis, quaeque postea autem nusquam comparuit [1]). Nutricis characterem designant capilli velo collecti. Hic tamen adhuc nihil illius expressum habemus characteris, qui postea spectatori placebit. Nihil enim illa mulier curare videtur quid agat, quidve patiatur infans quem pannis rigide involutum brachio laevo tenet. Ulterius procedit signum e t. c., Athenis (Polyt. 1493) [2]) asservatum. Nutrix, cuius characterem designat capitis tegumentum infantem lato sustinet gremio et brachiis caute circumdat. Clarius etiam nutricis naturam signum e t. c. (in expositione 1911—12, Roterodami exhibitum in scrinio O. 30) [3]), opus Alexandrinum saec. III. aut II. a. Chr. n., significat. Mulier provectioris aetatis, quae infantem lactat eique curam impendit, re vera tutrix, scite composita est cum infante cuiusvis generis auxilio tantopere egente. Notes velim quam acute observaverit artifex vultum nutricis, quem nitidum circumornavit cirrorum copia. Eiusdem qualitatis sunt signa e t. c., quae servantur Londinii (in Mus. Brit. C 279) [4]), Parisiis (Louvre), Berolini (in Antiquario) ubi nutricis lata facie quasi speculo redditur animi erga infantem physicus fere affectus. Hinc profecto transitus facilis ad „caricaturam“! Vide sis signum e t. c., in museo c. t. Louvre asservatum [5]), et statim leges quid pectus moveat illius servae, quae ponderis sui bene sibi conscia atque necessitatis, invidiose alumnum suum brachiis retinet. Audias quae de gula rapaci parvum e t. c. signum — opus ex Italia meridionali oriundum — in Museo Tarentino (454) [6]) asservatum narrat. Videas veterem domesticam servam, quam vita laborque curvatam declinavere, parvulum dominum portantem, dum caniculus ad eam insilit (Athenis in coll. Societ. archaeologicae) [7]). Facere non potes quin miserearis vetulae, quae corpus exsiccatum atque caducum proclinans, grato certe animo colligit signa desiderii sui, quae puer ei dat, feliciter conscia puerulum nec videre, nec abhorrere vultum rugis aratum, spoliatum capillis cranium (Berolin. in Ant. 7094) [8]). Opus non est seriem nutricum aut tutricum augere. In componendis typologicis ordinibus iam passim nonnulla huc pertinentia opera enumeravi, e. g. signa e t. c. Berolini in Ant. (7023, 7145, 7147, 7150) asservata [9]). Quorum tamen originis locus — Capuam dico — dubium movere potest an iure tamquam nutrices interpretentur. Mentem Hellenisticam huius quoque generis opera penetrare manifestum est. Hic etiam mentio fieri potest signorum e t. c., quae Romae [10]) et Parisiis [11]), fortasse et quod ibidem in Nummotheca [12]), asservantur. Videtur enim mulieris caput proprio illo panno tegi. Stilo autem operibus melioris notae Tanagraeis potius similis videtur.

Nec minus frequenter paedagogi quibus puerorum a septimo fere anno incumbebat cura, Hellenisticis artificibus ansam praebuere et thema variorum operum. Quia proprie extra huius libelli fines sunt, eorum hic mentio tantum fiat propter habitus similitudinem. Vide sis specimen ex Eretria oriundum, quod a. 1869 apud mercatorem opera et artificia venditantem comparuit [13]), et alterum e Corintho, nunc Berolini in Ant. (4435) asservatum [14]). Sileni quoque signum e t. c., Dionysum portantis commemoro: extat Parisiis (Louvre) [15]) et curotrophi speciem corporis habitu exhibet.

---

[1]) cf. Le Bas. Voy. archéol., t. 69., 1. [2]) cf. Winter, I. 154. 6. [3]) cf. Bullet. v. d. Oudheidk. Bond, 1911, p. 321. [4]) cf. Winter, I. 154. 4. [5]) ibid., I. 153. 8. [6]) ibid., I. 153. 7. [7]) cf. Schoene, Gr. Rel., t. XXXVI, fig. 138. [8]) cf. Winter, I. 154, 1. [9]) cf. ibid, I. 148. 4; 148. 7; 147. 3; 147. 7. [10]) ibid., I. 149. 1. [11]) ibid., I. 147. 8. [12]) ibid., I. 149. 4. [13]) ibid., II. 403. 11. [14]) ibid., 403. 9. [15]) cf. Pottier et Reinach, Myrina, t. XLIV.

Praeterire profecto non licet Hellenisticae artis proprium typum, quem Alexandriae, in huius artis igitur centro, evolvi videmus: Isidem dico Horum puerum in gremio portantem. Haec una Isidis repraesentatio est, quae ad meum argumentum pertinet; sed addere necesse est eam minime esse frequentiorem. Multo plures existunt statuae, quae vario utique modo solam Isidem sine Horo filio exhibent. Testis est Reinach, cuius Repertorium 120 fere locis solius Isidis repraesentationes enumerat, dum ea, quam hic spectamus figurarum coniunctio raro invenitur. Idem docet Lafaye in catalogo suo methodico, quem libro c. t. Histoire d. culte des Div. d'Alexandrie, adiunxit. Iseum Pompeiis inter plura eaque varia Isidis simulacra nullam Isidis ut Dei matris exhibuit repraesentationem. Nec Beneventi, nec Romae in Campo Martio eiusmodi exemplum, quod sciam, inventum est. Quidquid id est repraesentationis huius „ubique dispersae" argumenta desunt. Certis tantum locis, et quidem in Aegypto, illam matris cum infante repraesentationem generalem fuisse ponere licet. Museum Cairi testimonia nobis abunde praebet [1]; posteris quoque temporibus mater cum puero saepius ibi occurrit [2].

Isis cum Horo infante antiquum illum, quem in introductione iam attulimus typum, Hellenistica arte transformatum reddit (cf. p. 3). Inde a temporibus, quibus terra Nilo adiacens Graecis mercatoribus patuit, Graecorum quoque artem vestigia relinquere necesse fuit. Antiquam autem matris cum infante typum stilo quidem mutavit Aegyptus, sed compositione et mutua ratione ad Hellenistica usque tempora servavit intactum [3]. Est enim Isidis cum Horo puero typi communis descriptio haec: Isis exhibetur, stilo Aegyptiaco inferioris aetatis, insidens sellae, spectatorem aspiciens. Laeva manu sustinet Hori occiput, qui genui matris laevo insidet, eique dextra mammam praebet. Horus transverse in gremio sedens, ex obliquo situ conspicitur et quod unum apparet brachium laevum praeter corpus tantum habet. Ipsa traditio, quae typum fixit stabilemque reddidit prohibet quominus tempus originis accuratius designetur. Dici tantum potest Hellenismum regnante Ptolemaeo I et postea magis magisque se manifestare [4].

Quattuordecim specimina, quae museum Cairi servat, reproducta reperies apud Daressy, l. l., sed alia innumerabilia museum idem asservat. Sex praeterea dicuntur esse in Museo Borgiano (§ 55, 105—110); in Museo Vindobonensi 50 fere communis typi sigilla aenea exhibentur. Quid multa, vix ullum museum reperies, ubi non unum alterumve eiusmodi opus ostenditur. Ubi autem plura collecta vides, ut e. g. Vindobonae, Graecae et Hellenisticae artis auctoritatem crescentem clare prosequi possis. Nutrix quidem nostra in typum illum priscum vim suam exercuisse videtur [5].

Huc referri potest Isidis cum Horo statua, quam saec. VI. exeunte vel V. ineunte Deae dedicavit Graecus quidam Pythermus, Nelonis filius, qui Naucratidi habitabat [6].

Ars statuaria proprie dicta nullam statuam — si supra memoratam Cairi (cf. p. 22) excipimus [7] — typi Aegyptiaci in Hellenisticum versionem nobis reliquit, quae saltem certo ut talis agnosci queat. In statua Cairi asservata antiquum quidem schema, brachiorumque habitum agnoscere credas, sed deficientibus determinantibus attributis Isidem eam vocare

---

[1] cf. Daressy, Stat. d. Divin. e. q. s., t. LXI—LXIII. [2] cf. ibid., 39369—70, ubi Maut et Horus et 39376, ubi Rannut et Horus redduntur. [3] cf. Roscher, s. v. Isis, p. 368; Perrot et Chipiez, I., p. 87. [4] cf. Weber, Aeg. Gr. Terrak., p. 36. [5] cf. sigillum Vindobonae asservatum (Saal V., Wandschr. II., 23). [6] cf. Journ. H. Stud. XXIV., p. 337. [7] cf. Reinach, Rép. Stat. I. 256.

temerarium videtur. Nullus ibi hieraticus rigor, nihil ibi, quod Deam matrem Aegyptiacam designet; matrem cernimus humanam idealem, quae tota est in lactando suo infante [1]). Inter ea, quae Berolini collecta sunt signa e t. c., duo inveniuntur, quae cum hoc typo conferri debent (cf. Weber, l. l., t. II. 17 et 18). Isis, habitu et veste typo nostro simillima, alto insidet throno, cuius dorsum, quadratis (cassetten) ornatum, margine paulum eminente (geprofileerde rand) tegitur. Fieri potest ut signa ea a celebri quadam templi statua derivata sint [2]). Praeterea mentio facienda videtur matris cum infante, quae genibus passis in scirpea quadam sedet (cf. Weber, l. l., t. II. 25). Utrum Isidem cum Horo artifex exprimere voluerit necne, nescio. Si quis dicat repraesentationem ab Iside cum Horo inter papyros derivatam esse, verum fortasse sentiat. Alius typus arcte cum prisco, ex obliquo situ, schemate Aegyptiaco cohaerens, quem etiam in pateris Phoeniceis, Olympiae et Praeneste repertis (cf. Perrot et Chipiez, III, p. 97 et 783) novimus (cf. p. 3), reperitur in gemma quae in urbe Cagliari asservatur (cf. Furtwängler, A. G., t. XI. 7). Isis humili insidens sedili, parte corporis superiore more Aegyptiaco ad spectatorem versa, mammam praebet Horo, qui ut Dominus utriusque regionis rubrum portat et album capitis insignia. Hellenistica eiusdem typi elaboratio cernitur in gemma, quae Hagae Comitis (cf. Furtwängler, A. G. XXXIV. 3) asservatur.

Nunc a Graeca ad Romanam transeamus Hellenisticam artem, cuius per prolepsin iam plura monumenta monstravimus, cum singulorum typorum evolutionem prosequeremur. De quibus iterato sermone loqui non libet. Duo adhuc restant: primum investiganda sunt ea monumenta, quae vel subiecto, vel forma considerari possunt tamquam monumenta artis stricto sensu Romanae, artem dico Urbis vel ab Urbe dependentem. Deinde qui typi in provinciis occurrant quaerendum est, quantum sc. in propositum nostrum cadunt. Inaequabiliter per singulas provincias haec opera distributa esse videbuntur, protereaquod quae quaerimus partim tantum et in actis periodicis, ubi difficulter inspici possunt, in lucem sunt edita et quia maior provinciarum pars nondum satis explorata remansit. Adaequatam igitur adumbrationem ne expectes.

Primo loco nonnulla monumenta origine certa Italica, quae autem nil novi docent, afferam. Museum Clusii asservat statuam matris infantem lactantis [3]). Exemplum typi quem repraesentativum dixi est. Observes velim locum pueri ad partem dextram, quod rarius occurrit. Vix ullum inter matrem et infantem expressum vides nexum psychicum: mulier, cuius capillos ornat diadema, oculos rigide defixos habet. Mater infantis pondere, ut ita dicam, pressa, late insidet throno, qui attentione dignus est, quippe qui sphingibus sustentetur. Signum e t. c., Capuae asservatum [4]), typum nobis exhibet nutricis Hellenisticae, proportionibus potius ponderosum et ad repraesentationem „naturalisticam" vergentem. Sarcophagus in coll. Walters (Baltimore) [5]) Nympham Dionysum lactantem ostendit, quae typum iam ab Hellenistico aevo notum, parum tantum mutatum, exhibet. Sigillum aeneum Parisiis (Bib. Nat.) [6]) servatum, Romanae artis specimen, statuam quam supra descripsi in Museo Chiara-

---

[1]) cf. sigillum aeneum, Parisiis asserv. (cf. de Ridder, Bronz. ant. du Louvre, I. 192), a. 1909 Delphis inventum; de Ridder cum severioris stili signis id composuit. Multo magis Hellenisticum mihi videtur. Nodus in pectore Isidem fortasse designat. [2]) cf. Weber, l. l., p. 38. [3]) cf. Gerhard, G.A.A., I., p. 320, obs. 74; t. XLIX, 4—5; Reinach, Rép. Stat. II., 260. [4]) cf. Gaz. B.-Arts, 1880. I., p. 222. [5]) cf. Reinach, Rép. Rel. II, p. 198; Mél. de Rome 1885, t. 11. [6]) cf. Catal. d. Bronzes d. l. Bib. Nat. p. Babelon et Blanchet, 56.

monti (cf. p. 22) in memoriam revocat et cum nummis, inscriptione Iunonis Lucinae instructis, comparari potest[1]). In ectypo ineuntis aetatis imperatoriae, e Caere oriundo, nunc Hafniae (Glyptothek 138)[2]) asservato, Iovem infantem cum nutrice expressum videmus inter duos tutores Corybantes. Compositio Hellenisticae nutricis cum infante typum refert. Fragmentum clipei e t. c. (terracottamedaillon) in Museo Lugdunensi[3]) repraesentatam exhibet Danaen, in eo ut in arca includatur. In labro arcae inconstanter sedens, laevo brachio infantem, umerum suum arripientem, detinet. Satis apte hoc thema, arca praesertim scenographice descripta, expressum est. Multas matrum cum infantibus repraesentationes liberorum sarcophagi nobis servaverunt, in quibus tam frequenter vitae infantis curriculum fictum videmus. In sarcophago musei Kircheriani bis infantem cum parentibus videmus in reda mulis iuncta[4]). Nunc uberi matris dextro admotus quiescit, nunc in genibus eius sedens, quam praetervehitur regionem aspicit, eo quod schema repraesentativum ex obliquo situ dicere possis, sed in cotidianum usum versum. In alio infantis sarcophago in Museo Vaticano (Loggia scop. 987)[5]) illum pannis involutum in brachiis nutricis laevam mammam sugentem aspicimus, dum illa cathedrae insidet. Eandem ostendit repraesentationem sarcophagus in Mus. c. t. Louvre asservatus, tempore fere Hadriani imperatoris confectus. Rigidae autem rusticitati gratia quaedam facilis subiit. Utrumque opus ex officina videtur prodiisse, ad unum schema adumbratum. Inscriptione tantum adiecta monumenta haec funeraria ei, cui opus erat, adaptari plerumque solebant.

Obscurum quoddam monumentum Romae in Mus. Vaticano (Loggia scop. 8)[6]) conspicitur. Ectypi fragmentum nudam superiorem corporis partem feminae exhibet, quae capillis vinculo colligatis, nudam puellam ad dextram mammam lactat, e parva cupa quadam surgens: cupa autem magno floris calyci similis est. Quid sibi velit illud fragmentum adhuc obscurum est. Comparanda cum eo fortasse sunt monumenta quaedam matronarum ut ectypon illud, quod in pago Roedingen inventum est et tres matronas e calycibus surgentes exhibet[7]). Mirum quoque sarcophagi fragmentum in Museo c. t. Louvre videtur esse[8]). Operis factura posteriorem aetatem imperatoriam indicat, dum ipsum thema iam exeunte V. a. Chr. n. saec. ortum est. Centaura infantem a tergo eius stantem dextra mamma lactat: iam Zeuxis eiusmodi tabulam depinxit[9]). Aliud antiquum schema duo sigilla aenea Parisiis (in Bib. Nat. et in Mus. c. t. Louvre) asservata reddunt, matris sc. cum infante cubantis. Archaico modo hunc typum iam expressum videmus signo e t. c. in urbe Karlsruhe[10]). Hic illud conspicimus attributis nonnullis perplexis instructum. Signum, quod in Bibl. Nat. asservatur[11]), feminam exhibet in humili lecto recubantem, laevoque brachio se sustentantem. Ad dextram mammam infantem nudum admovet, in lecti margine sedentem. In margine ea septem foramina conspiciuntur, quae cum septem diebus hebdomadis cohaerere suspicati sunt

---

[1]) cf. Overbeck, Kunstmyth., Hera, Münzent. III. [2]) cf. Rohden, Arch. Tonrel., t. X., p. 245. [3]) cf. Déchelette, Vases cér. orn. II., p. 279. 78; cf. Roscher, s. v. Danae, p. 948; Daremberg et Saglio, s. v. arca, p. 362. [4]) cf. Reinach, Rép. Rel. III., p. 269; Helbig, Führer, II, p. 3, n. 1645. [5]) cf. R. Rochette, Mon. Ined., t. 77; Wernicke, Arch. Ztg. 1885, p. 216. [6]) cf. Amelung, Vat. Skulpt. II., t. 82. 8; fortasse loti floris calyx est et Dea Isis repraesentatur, sed puellam expressam esse obstat. cf. Orcurti, Cat. illust. d. mon. egiz. Mus. di Torino, 1852, p. 180. 6 et Mus. Borgiano, 52, 423; Doc. Ined. I., p. 381 sq. [7]) cf. Ihm, Bonner Jahrb. 83 (1887), t. III. 2. [8]) cf. Reinach, Rép. Stat. I. 42. [9]) cf. eiusmodi repraesentatio in gemma, in Mus. Florentino asservata; v. Daremberg et Saglio, s. v. Centaurus, fig. 1286. [10]) cf. Kekulé, Terrak. Siz., fig. 38. [11]) cf. Babelon et Blanchet, Catal. 57.

Babelon et Blanchet. Qua de causa Iunonem Lucinam hic expressam esse putant. Eundem typum exhibet sigillum in mus. c. t. Louvre [1]) quod de Ridder caute ut „Déesse mère allaitant“ interpretatus est. Mulier, in laevo latere cubans, infantem pannis involutum laeva mamma lactat. In margine lecti hic novem conspiciuntur foramina, ut loti flores fortasse interpretanda. Insuper autem addita sunt rana, cornix (aut potius accipiter), testudo, lacerta, dum anguis post puerum serpens ad mulieris caput surgit. Attributorum horum exoticorum ratione habita, deam quandam orientalem expressam esse putes et in promptu est, ut cum Iside signum illud cohaerere suspiceris. Mirum quoque typum signum e t. c. Londinii in Mus. Brit. (D 252) [2]) exhibet: femina provectioris aetatis, in medio sedens, laevo atque dextro brachio figuras minores, masculinam et femininam amplectitur. Opus Praenestinum Hellenistica aetate factum esse videtur. Quid autem sibi velit, collato alio signo e t. c. [3]) Praenestino (cf. p. 15) suo loco diligentius anquiram. Veram Romano-hellenisticam artem designat ectypon, quod vocatur Telluris, Florentiae (Uffizi) servatum [4]); pars ut videtur Arae Pacis Augusti, mulierem sedentem exhibet, laevo crure paulum in altum retracto. Caput eius velamine dependente tegitur; laevo et dextro brachio puerulum ludentem sustentat gremiumque eius floribus fructibusque completum est. Opus hoc egregium exemplum nobis exhibet compositionis illius liberae atque facilis, quam Hellenistica aetate ars sibi peperit. Minoris pretii est repraesentatio quam in basi, quae dicitur Casali, invenimus (Romae, in Mus. Vaticano) [5]), qua Romae conditae fabula tractatur (II. p. Chr. n. saec.). Altrix, quae alumnos suos Romulum et Remum in gremio fovet, rigido schemate, adversa facie reddita est. Utroque brachio infantem sustentat. Minus expedite compositio expressa est, sed graphice fere atque ut ita dicam „impressionistice“ adumbrata est descriptio. Eodem modo, sed maiore arte (technisch kunnen) sarcophagus turbide Adonidis mythum exhibens, Biedae in ecclesia asservatus [6]), tractatus est. Apud mortuum Adonidem femina assidet (Aphrodite?) cuius genu dextrum cruribus amplectens puerulus conspicitur (Eros?). Florentiae (Uffizi) asservatur latus angustum sarcophagi valde laesum quod hic tamen compositionis matris cum infante causa afferre velim. Cathedrae insidet Rhea, dum Iovem puerum lactat [7]); Hermes, puerum ad altricem ducturus adstat; is autem ad matris pectus se abscondit, manibusque eam arripit.

Ut seriem expleam hic tandem peculiarium repraesentationum genus afferam, sc. earum quibus victi barbari exprimuntur in monumentis sollemnibus publicis aetatis imperatoriae. Eundem semper typum exhibentes, semper fere secundas partes agunt in compositione. Typum in iis Iliupersin tractantibus monumentis iam novimus. Mantuae e. g. sarcophagus aetatis imperatoriae asservatur [8]), in quo Iliupersis efficta est. Documentum nobis est totam repraesentationem aetate quoque imperatoria nondum relictam esse. Matrem videmus, laevo genu nixam, dum in dextro genu ambabus manibus infantem ex obliquo situ visum, firme amplectitur. Barbarae mulieres vulgo magis in sorte acquiescunt, minus perturbatae apparent. Multo magis inter fortunae socias symbolicae fere figurae esse videntur. Sic gemma ectypa, Parisiis in Nummotheca asservata [9]), eas exhibet. Iconographica de causa ponere licet eam

[1]) cf. Reinach, Rép. Stat. II. 423; de Ridder, l. l., 744. [2]) cf. Daremberg et Saglio, s. v. Ceres fig. 1307. [3]) cf. Gaz. B.-Arts, 1880. I., p. 219. [4]) cf. Reinach, Rép. Rel. I. 236; ectypa idem schema repetentia in Museo c. t. Louvre (Reinach, ibid., II. 260) et Carthagini asservata. [5]) cf. Gusman, Art déc. de Rome, t. 80. [6]) cf. Robert, III, 1—3, 14; Reinach, Rép. Rel. III. 7. [7]) cf. Wernicke, Arch. Ztg. 1885, p. 230. [8]) cf. Robert, l. l., II, t. 26. [9]) cf. Furtwängler, A. G., t. LX; cf. Vol. II., p. 268 et Wieseler I. 2, in textu p. 91.

factam esse circa a. 20 p. Chr. n. Mulier humi conquiniscit, cruribus paulum in altum retractis, nudumque puerum in gremio tenet, qui summa vi evadere conatur. In diptychis quoque consularibus infimae imperatoriae aetatis barbarorum repraesentationes saepius inveniuntur. In thesauro ecclesiae in urbe Halberstadt diptychon saec. V. vel VI. p. Chr. n. asservatur, quod matrem conquiniscentem exhibet, quae ambabus manibus infantem manus ad se porrigentem, a solo tollit[1]); altera sedens ad laevam reclinatur et infanti iuxta se ad gremium stanti, laevam mammam praebet[2]). In columna quoque Theodosii, a. 386 Constantinopoli erecta, quae a. 1517 corruit, eiusmodi repraesentatio fuisse videtur. Adumbratio ignoti cuiusdam Itali artificis, quam Museum c. t. Louvre asservat, triumphum, ibi expressum, stilo quidem XV. fere saec. reddidit. Inter barbaros captos reda vehitur, in qua femina conspicitur ex obliquo situ, in laevo genu nudum infantem, adversa facie tenens. Adumbratio autem plura de ea dicere non sinit[3]). Statua quoque quae in oppido St. Gervais asservatur, quamque Reinach[4]) ut „suspectam" in Repertorium suum recepit, quod ad compositionem et habitum attinet huc pertinens, accuratius tractari nequit.

In provinciis nimirum multa artis industriae opera occurrunt, quae arcte cum Romae arte Hellenistica cohaerent. Ut demonstrem typum matris cum infante huc quoque pervenisse, duo tantum exempla afferam. Fragmentum clipei e t. c. (Vienne, Coll. Chaumartin)[5]) parvum Dionysum reddit, quem genibus nixum in gremio suo sedentem, nympha dextra mamma lactat. Ectypon Hellenisticum Avenioni asservatum[6]), ex obliquo situ nutricem cum alumno exhibet.

Sed praeter ea opera, quae nisi importata sunt, stilum profecto Italicum designant, permulta alia inveniuntur, quae clare characterem provincialem exhibent. Plerumque femina reddita est, infantem a laeva parte in gremio tenens. Conferatur e. g. signum e terra samia c., inferioris operis specimen, quod servatur in coll. Tudot (Champ-Lary)[7]). Typum Hellenisticum in provincialem modum versum ante oculos habere puto, quem compositio plerumque arta et capitis inclinatio hic illic ostendit. Multa eiusmodi signa e t. c. ad pagos Moulins-s.-Allier et Toulon inventa sunt. Formae, quae ibidem reperiebantur et inscriptionibus incisis Gallicam originem profitentur, industriam indigenam hic floruisse affirmant. Typum quam maxime pervulgatum Tudot nomine „Veneris Anadyomenae" adornavit. Praeter eum crebrae curotrophorum repraesentationes nunc uno cum infante, nunc cum duobus infantibus, inveniebantur. Mirum et notatu dignum est capitis tegumentum, quod saepe feminae gerunt: non sunt capilli, sed quaedam tiara (tulband), eius temporis, ut videtur, vestitus popularis[8]). Exempli gratia affero haec: signum e t.c. in coll. Oppermann, Parisiis asservatum, e pago Tarquinpol oriundum[9]); duo signa e t. c. in coll. Tudot[10]) et alia eiusmodi opera e Burgundia, in pago Moulins in museo asservata[11]). In provinciis Celticis et Germanicis saepissime compositiones trium dearum, quae vocantur Matres aut Matronae, inveniuntur. Una ex iis interdum infantem in gremio tenet, quamquam compositio etiam sive nullis omnino cum attributis, sive cum aliis, velut fructibus, cornucopiis, catulis, e. a. saepius reperitur.

---

[1]) cf. Mitt. d. k. k. Zentralk. Wien, XV (1870), p. 22; Molinier, Les Ivoires, p. 34. [2]) cf. Reinach, Rép. Rel. II. 65. [3]) cf. Reinach, ibid., I. 105. [4]) cf. Reinach, Rép. Stat. II. 516. [5]) cf. Déchelette, l. l., II., p. 384. 156. [6]) cf. Reinach, Rép. Rel. II. 215; Espérandieu, I. 67. [7]) cf. Tudot, Coll. fig. en arg., t. 28. [8]) cf. H. Lehner, Führer ant. Abt. Prov. Mus. Bonn, 1915, p. 190. [9]) cf. Tudot, l. l., t. 30. [10]) ibid., t. 25 et 27. [11]) ibid., t. 26 et 30.

Exempla praebent signa in museo Lugdunensi [1]), in urbibus Chatillon [2]), Beaune [3]), Autun [4]), asservata. Modo, cum femina cum infante a laeva parte compositionis conspicitur, infantem dextra mamma lactat, nunc cum medium locum tenet, ad laevam eius mammam infans admotus est. Plerumque infans plane pannis involutus est. Compositiones omnes indigenae industriae opera sunt, ut stilus, lapis quoque e quo factae sunt, indicant. Singulae quoque hae deae inveniuntur. Exempla praebent signa rustice et provincialiter facta, quae Musea in urbibus Saintes [5]) et Nantes [6]), omnia valde laesa, conservant. Hoc apud pagum Rezey (Loire inf.) in larario inventum, figuram femininam neglegenter adumbratam reddit. Femina brevi tunica induta est, quae crura brachiaque non tegit et in umeris duobus fibulis colligata est. Christiano quoque aevo diu dea illa viguisse videtur. In pago Epinal eam reperimus in ara expressam, qua ad XIX. usque saec. baptisterii loco utebantur in ecclesia pagi Virecourt [7]). Peculiare hic agnoscimus deae capitis tegumentum. Ipsius deae superior tantum corporis pars conspicitur; infra in canem abit. Brachiis tenet duas minores figuras, quarum altera barba atque mystace ut masculina designatur. Quamquam repraesentationem illam singillatim interpretari non licet, verisimile mihi videtur hoc signo matronarum typum continuatum esse. Merovingico tempore ortum esse videtur.

In Belgia quoque matronae illae occurrebant; fragmenta nonnulla in urbe Arlon in Museo asservantur [8]).

Quaestio nondum soluta est, utrum matronae sint Celticae an Germanicae originis. Tempore, quo Romani in Galliam venerunt, vernaculas eas fuisse, figuramque earum externam tamquam vestem mutuatam a victoribus esse constare videtur. In provincia quoque Rhenana magna eiusmodi monumentorum vis in lucem rediit et saepe matrona ut curotrophus redditur. Iam Dorow [9]) imaginem mulieris cum infante depictam dedit, eo quem novimus schemate expressam. Isidem cum Horo repraesentatam esse putavit. Ex illo tempore multa et alia inventa sunt monumenta atque ordine descripta. Meum non puto haec omnia colligere. Satis erit nonnulla exempla afferre. Conferantur ea quae in Mus. Prov. Bonnensi asservantur signa e t. c. (U 253 et 2920) et fragmentum lapideum 24960, omnia deam cum infante reddentia. Vulgo hoc modo repraesentantur: in scamno tres sedent feminae, vestimentis indutae et peculiari, minime Romano velamine (shawl) amictae, quod umeris impositum est et fibula in pectore continetur. Plerumque monile quoddam in modum torquis in collo portant. Maxime mirum est capitis tegumentum, quod iam indicavimus. Dum media figura nudo capite conspicitur, aliae semper hoc tegumento, vestitu ut videtur populari, instructae sunt. Suo loco accuratius anquiram, quid sit atque valeat illarum dearum cultus.

Nonnulla digna quae notentur monumenta in pago Pettau ad Dravum fluvium (1895) inventa sunt. Inscriptiones votivae nos docent sacrarium Nutricum Augustarum ibi fuisse. Monumenta, quae ad nostrum argumentum pertinent [10]), valde interdum laesa, nutricem expressam exhibent. Duo quidem exemplum Romanum Hellenisticum redolent, duo autem alia rudis atque certo vernaculae facturae sunt et propriam traditionem provincialem indicant.

---

[1]) cf. Espérandieu, III. 1742. [2]) ibid., IV. 3377. [3]) ibid., III. 2064; 2081. [4]) ibid., 1831. [5]) ibid., II. 1326, 1333, 1334. [6]) ibid., IV. 3017. [7]) cf. Rev. Arch. 1883, t. 1—4. [8]) cf. Guide ill. du Musée d'Arlon, p. 123. [9]) cf. Opferstätten und Grabhügel der Germ. u. Röm. II., t. 7. 3. [10]) cf. Conze, Röm. Bildwerke einh. Fundorts, 1875, II., p. 13; Gurlitt, Pettauer Antiken, Arch.-Epig. Mitt. a. Oesterr. 1896 (XIX), p. 1 sqq.

Seorsum mentione digni nummi illi videntur, quibus imago matris cum infante impressa est. Non Romae sed prius in Provinciis Orientalibus occurrunt, ubi eiusmodi repraesentationes notas et receptas fuisse ponere licet. Primo loco nummos affero, qui aetate imperatoria Alexandriae cudebantur et in latere verso Isidem Horum infantem in gremio tenentem exhibent. Traiani, Hadriani, Sabinae, M. Aurelii, Faustinae Iunioris, L. Veri, Lucillae multi huius typi nobis innotuerunt[1]). Quamquam alibi quoque, ut Cumis Aeolicis[2]), Isidis in nummis repraesentatio nonnumquam invenitur, Alexandriae proprii esse videntur, quod novum nobis documentum est, quantopere repraesentatio illa populari gratia gauderet. Quotiescunque compositio, Hellenistico semper sensu quem iam novimus, redditur, hic silentio eam praeterire licet. In nummis proprie Romanis stantis matris cum infante repraesentatio, sc. Fecunditas Augusta inter duas puellas, primum in nummo Faustinae, M. Aurelii tam multiparae uxoris, invenitur[3]). Modus, quo superiore parte corporis adversa spectatori, dum pars inferior ex obliquo situ conspicitur, femina expressa est, Isidis ex obliquo situ repraesentationem in mentem revocat. Nympha Nysena Dionysum in gremio tenentem in Zacynthiorum nummo[4]) conspicitur, eandemque nummus Cassandriae in Macedonia, temporis Philippi Arabis, exhibet[5]). Ut Pietas Augustae repraesentatio in nummo Faustinae, Constantini Magni uxoris, occurrit[6]). Infantem autem hisce in repraesentationibus numquam lactari expressis verbis hic statuo. In nummis demum Juliani II Apostatae, haec repraesentatio invenitur. Ut Vota Publica Isidem, loto aliisque attributis conspicuam, lactantem manifeste expressam videmus[7]). Eodem modo postea in nummis Helenae, Ioviani, Valentiniani I, Valentis[8]) invenitur. Quamquam Isis alio habitu, multo superiore tempore occurrit in nummis, lactans demum c. a. 360 p. Chr. n. invenitur. Mater autem infantem in gremio tenens c. ann. 150. p. Chr. n. primum in nummis conspicitur. In nummis tractandis paulo diutius moratus sum propterea quod artis industriae minuscula opera typum quendam optime tradere possunt, ut sunt mobiles et facile e manu ad manum transeuntes.

Hic repraesentationes antiquas matris cum infante tractandi finem imponam. Nequaquam plenam atque absolutam seriem, quam explicui, esse perbene scio. Praesertim quod ad provincias attinet, multae lacunae extant. Hispaniae nomen omnino non occurrit. Africa uno tantum exemplo repraesentatur. Quod ad Orientem attinet, haud necesse putavi me traditionem diutius prosequi: in recensendis Hellenisticis artis operibus iam satis apparuit, quam pervulgata in Oriente matris cum infante repraesentatio esset. Hoc mihi propositum fuit statuere legiones Romanas, earumque mercatores comites, aliis verbis: cultum Romanum, in eas quas sibi adsumpsit terras artem, omnibus Hellenistico tempore communem, secum portasse, victasque gentes docuisse quomodo cogitata sua, quamvis interdum imperfecte, arte exprimerent.

---

[1]) cf. Roscher, s. v. Isis, p. 506 sq. [2]) cf. Head, H. N.[2], p. 554. [3]) cf. Cohen, VII, Suppl., p. 424, t. 4. 45. [4]) cf. Müller-Wieseler, II. 410. [5]) cf. Imhoof-Blumer, Monn. Gr., t. 68, 35. [6]) cf. Kenner, Jhrb. kunsth. Samml. Wien, IX, tab. 4. 270. [7]) cf. Cohen, VI., t. 11, p. 371. [8]) cf. Roscher, s. v. Isis, p. 507.

V.

Repraesentationes matris cum infante quid valuerint apud Antiquos.

Multa ex iis quae praecedentibus capitibus tractavi monumenta propter iconographicas rationes facile explicari possunt. In descriptionum textu vulgo iam attributa commemoravi et quid significent monumenta indicavi. Quam ob rem breviorem esse hoc loco mihi licebit. Monumenta tantum enumerabo et quantum opus erit generaliter ea retractabo.

Una ex iis quae facillime agnoscuntur compositionibus est Aphroditae cum Erote. Erota lactat ac ceteroquin aliis attributis rebus, velut columba, delphino, ansere, e. a. facile cognoscetur. Hac serie continentur: Gemma Petropoli servata (cf. Furtwängler, A. G., t. XIII. 4); repraesentatio in Attico cratere, qui Würzburg in urbe asservatur (cf. Monum. d. Inst. X. 3); gemma in Mus. Brit. asservata (cf. Furtwängler, A. G., t. X. 31); signum e t. c. in Museo Acad. Bonnensi (cf. Winter, I. 148. 3); repraesentatio in speculo Etrusco (cf. Gerhard, Ges. akad. Abh., t. LV. 6); signum e t. c. in Antiquario Berolinensi (8313; cf. Winter, II. 6. 3); repraesentatio in vase picto, Petropoli (Eremit.) asservato (cf. Reinach, Ant. Bosph. Cimm. III. 52); signum e t. c. in Antiquario Berolinensi (8191; cf. Winter, II. 195. 5); signum e t. c. in coll. Nervegna, Brundisii, asservatum (cf. Winter, II. 193. 9); compositio Aphroditae cum Erote et Psycha, Dresdae asservata (cf. Reinach, Rép. Stat. I. 351); fortasse duae quae Romae (Pal. Lante) et Florentiae (Giard. Boboli) asservantur compositiones matris cum infante (cf. Reinach, Rép. Stat. I. 374; Arndt-Amelung, E. A. 283, 284). In omnibus his compositionibus Aphroditen cognoscere licet Erote adiecto, et ratione quae inter eos est. Difficilius eam agnoscimus in iis quas nunc enumerabo compositionibus. Ectypon e t. c. in Mus. Academ. Bonnensi asservatum, quod est peculiariter eroticum (cf. Bonner Jhrb. 101, t. 6), Aphroditen quoque exhibere videtur. Typus enim plane cum Aphroditae statuis Berolinensi atque Neapolitana congruit [1]). Internus hic ectypi sensus deficit et ad typorum comparationem nobis confugiendum est. Haec autem in aliis operibus symbolicis eroticis, ut signis e t. c., Cataniae in Mus. Biscari (cf. Winter, II. 200. 9) et Athenis in Museo Centrali (248; cf. Winter, II. 201. 5) asservatis et vase picto in Coll. Hope (Deepdene) asservato (cf. Reinach, Rép. V. P. II. 315) nos non adiuvat, et quamquam alis suis Eros semper satis conspicuus est, utrum Aphroditen an mulierem mortalem ante oculos habeamus, affirmare non possum. Immo vero in vasis laudati repraesentatione feminam mortalem potius videre velim, comparatis imprimis repraesentationibus in vasis pictis, Berolini (in Antiq. 3182 et 2706; cf. Reinach, Bib. mon. fig. II., 113 et Rép. V.

[1]) cf. Bonner Jahrb. 101, p. 156 sq., tab. VI, 2 et VII.

P. I. 414) asservatis. Hic Eros genibus iuvenis, illic Helenae gremio insidet. In Erote totus amoris impetus expressus est, blandissime victimis suis persuadens ut sibi indulgeant. Conferatur quoque gemma Hannoverae in Mus. Kestner (cf. Furtwängler, A. G., XLII. 36) servata, ubi Psyche alis suis insignis parvum dormientem Erota in gremio tenet.

Alia praecipuo studio ab antiquis artificibus expressa repraesentatio, Nymphae sc. Nysenae cum Dionyso infante, secundae seriei monumentis exhibetur [1]). Nympham vulgo ephedrae corona, comae imposita, statim cognosces. Alibi, ut in sarcophagis tota figurarum compositio satis perspicua. Exempla affero haec: Vas in modo signi e t. c. perfectum, nunc Berolini in Antiquario (2913; cf. Furtwängler, Coll. Sabouroff, t. 71) asservatum; vas argenteum in Thessalia inventum (cf. Ath. Mitt. 1912, t. 3); signum e t. c. Vindobonae in coll. Trau servatum (cf. Winter, I. 149. 6); signum e t. c. in Antiq. Berolin. (cf. Gerhard, G. A. A., tab. 80); vas pictum Neapoli in coll. Castellani servatum (cf. Reinach, Rép. V P. I. 132); vas pictum olim Neapoli, nunc ex oculis elapsum (cf. Reinach, Bib. mon. fig. II., p. 707); sarcophagi fragmentum, Romae in Villa Albani servatum (cf. Reinach, Rép. Rel. III. 136); duo sarcophagi in coll. Walters (Baltimore) servati (cf. Reinach, Rép. Rel. II., p. 196 et 198); fragmentum clipei (medaillon) e t. c. in coll. Chaumartin, Lemovici servatum (cf. Déchelette, Vases cér. orn. e. q. s. II., p. 384. n. 156); nonnulli aetatis imperatoriae nummi Zakynthi et Macedonicae Cassandriae (cf. Müller-Wieseler, II. 410; Imhoof-Blumer, Monn. Gr., tab. 68, 35).

Iuxta has, multae et aliae e mythologia Graeca ductae repraesentationes inveniuntur. Vas pictum, Vindobonae asservatum (cf. Reinach, Rép. V. P. II. 207) quomodo Athena e patris femore nascatur, exhibet [2]). Figuras in hydria Attica V. saec. ut Eryphilen, domi Amphiarai Alcmeonem lactantem inscriptiones denotant (in Ant. Berolin. 2395; cf. Reinach, Rép. V. P. I. 461). Vas pictum in coll. Hope (Deepdene) (cf. Reinach, Rép. V. P. II. 354) aeque ac fragmentum clipei e t. c. in Museo Lugdunensi servatum (cf. Déchelette, l. l., II., p. 279) tragoediam Danaae, cum infante in arca inclusae reddunt. Vas pictum Nolanum in Museo Brit. (cf. Reinach, Bib. mon., fig. II., 51). Hermen cum Dionyso infante saxo insidentem exhibet. Ectypon Romanum, quomodo a matre infans pannis involutus feminae sedenti tradatur reddens (cf. Reinach, Rép. Rel. III. 174) donarium ex voto Artemidi curotropho esse videtur: sedens saltem femina pharetrae balteo ut Artemis designatur [3]). Sarcophagus fabulam Adonidis reddens Biedae in ecclesia servatus (cf. Robert, Sarkoph. III. 1—3, 14; Reinach, Rép. Rel. III. 7) iuxta Adonidis corpus feminam sedentem exhibet, dum Eros pedibus varicatis genui eius insidet. Aprodite dolens videtur. Silenus quoque et Pan hoc modo cum Dionyso infante expressi sunt (cf. Pottier et Reinach, Myrina, t. 44; Espérandieu, III. 2663; Arndt-Amelung, E. A. V. 1421).

Ex historia aeque atque e mythologia artifices materiam matris cum infante effingendae duxerunt. Graecorum quidem Troiae excidium iterum atque iterum cogitationem excitavit et Hellenistica atque Romana quoque aetate tam arti quam industriae argumentum saepe tractatum fuit. Identidem autem repraesentationes exhibentur, quae ad argumentum nostrum pertinent. E. g. vas pictum, quod vocatur Vivenzio, Neapoli in Museo asservatum (cf.

---

[1]) cf. Heydemann, Dionysos' Geburt und Kindheit, Hall, Winckelm. Progr. 1885. [2]) cf. Schneider, Die Geburt der Athena, p. 14. [3]) cf. Weiszhäupl, Das Telephosrelief der Villa Borghese; Röm. Mitt. 1891, p. 177.

Reinach, Bib. mon. fig. II., p. 18). Priamum senem arae insidentem, nepotis Astyanactis mortui corpus in genibus tenentem, praebet. Eiusmodi repraesentationem, sc. Hecubae mortuum nepotem foventis, vas pictum quod Lasimi vocatur, Parisiis servatum (cf. Reinach, ibid., II., p. 64) exhibet. Realistico modo argenteum vas Hellenisticum in Antiquario Monacensi servatum (cf. Baumeister, Denkm. I., tab. 14, p. 742) nonnullas cum infantibus mulieres stipatas depingit. Sunt Troades, novum dominum expectantes, variis modis infantibus intentae. Eodem fere modo sarcophagus aetatis imperatoriae, Mantuae servatus (cf. Robert, l. l., II., t. 26) eventa reddit. Postquam autem Romani suam gloriosam historiam arte exprimere coeperunt, inter barbarorum repraesentationes, quae gemmas ectypas repraesentativas, diptycha consularia interdum ornant, Hellenisticum Troadum typum denuo invenimus. Sic matrem cum infante in magna imagine Tiberii, Liviae, Germanici ectypa, quae Parisiis (Cab. d. Méd.; cf. Furtwängler, A. G., t. 60) asservatur, sic eam in utraque parte diptychi consularis saec. V. vel VI., quod in urbe Halberstadt in ecclesia servatum est (cf. L. v. Sybel, Chr. Antike, II. 68) videmus. Eam, quam fecit saec. XV. Italus artifex adumbrationem columnae Theodosii, quae olim Constantinopoli fuit (cf. Reinach, Rép. Rel. I. 105) sicut suspectam statuam in urbe St. Gervais asservatam (cf. Reinach, Rép. Stat. II. 516), ne quid omittam, hic tantum laudo.

Ad ea, quae mortales repraesentant matres, monumenta perveni, qua de causa hoc loco apte monumenta funeraria, matrem infantem in gremio tenentem repraesentantia, commemorare possum. Primo loco ectypon funerarium, Romae in Villa Albani servatum affero (cf. Brunn-Bruckmann, 228; Helbig, Führer, II. 1863) plane archaici stili. Infans in matris genibus stat. Huius temporis monumenta matris cum infante rarissima sunt; in ectypis quoque funerariis Atticis paucae tantum matres, infantes in gremio tenentes, inveniuntur. In lapide funerario, qui olim fuit Athenis, nunc autem ex oculis denuo elapsus est (cf. Reinach, Voyage arch., Le Bas, t. 69. 1; IV. saec.), repraesentationem feminae cum infante invenimus, quam propter comam velo colligatam ut nutricem interpretandam esse puto. Eandem effictam esse in duobus ectypis funerariis Athenis in Mus. Nat. asservatis (cf. Conze, Att. Grabr. 1855 et 471) pro certo habeo. Hic enim inter accidentes figuras femina recepta est. Ipsa mater expressa videtur in ectypo funerario feminae Milesiacae, Athenis asservato (cf. Conze, ibid., 1854), IV. vel III. saec. a. Chr. n.; eademque in alio funerario ectypo Athenis servato (cf. Conze, ibid., tab. 27), ubi feminam cum infante redditam videmus; ex adverso ei magno funerario vase stante. In ectypo tandem inferioris Hellenisticae aetatis, Avenioni servato (cf. Reinach, Rép. Rel. II. 215; Espérandieu, I., p. 67), quo epulum funebre redditur, iuxta mariti lectum feminam, infantem in gremio detinentem, effictam videmus. In cistis quoque funerariis Etruscis saepius matris cum infante repraesentatio in iis compositionibus, ubi coniuges valere sibi dicunt (cf. e. g. Reinach, Rép. Rel. II. 34) invenitur. Tota forma ex arte Graeco-Hellenistica pendet. Eodem modo matrum cum infantibus in liberorum sarcophagis Romanis repraesentationes tractatae sunt. Plerumque ordinaria officinae opera ante oculos habemus, nullum novum aspectum afferentia, sed notatu digna propterea quod, quam diffusa atque nota Romana quoque aetate matris cum infante forma fuerit docent. Exempla haec affero: Sarcophagus Hadriani aetatis [1]), nunc Parisiis (Louvre) servatus

[1]) cf. Arch. Ztg. 1885, p. 209.

(cf. Reinach, Rép. Rel. II. 289); sarcophagus Romae in Mus. Kircher. asservatus (cf. ibid., III. 269; Helbig, Führer, II. 1447); sarcophagus Romae in Villa Pamfili servatus (cf. Matz-Duhn, II. 3087); sarcophagi fragmentum in Museo Vaticano (Loggia scop. 987; cf. Wernicke, Arch. Ztg. 1885, p. 216). Novis observationibus locum non dant. Matrem cum infante effictam esse contextus plerumque affirmat.

Specialem tenent locum repraesentationes nutricum atque assarum. In alio contextu de iis iam supra egimus neque ad eas reverti necesse est (cf. p. 28). Itemque ibi complura signa e t. c. commonstravimus, quae stilo atque expressione arcte cum iis realisticis, paene depravatis nutricum imaginibus (caricaturen) cohaerent, quae autem attributis deficientibus aut inveniendi loci ratione habita, nutricis nomine appellari non potuerunt. Generali curotrophi nomine ea complexi sumus. Suo loco ea collecta invenies (cf. p. 29).

Ad maximam servatorum monumentorum seriem, quae a prisca antiquitate usque ad infimam imperatoriam aetatem exempla sua habet, pervenimus. De singulis operibus fusius agere longum est. Satis erit, nonnullis, quae documento sint exemplis citandis, ea quae dixi affirmare. Primo loco id ago, ut primam priscae curotrophi, quae vocatur, Graecae repraesentationis significationem diligentius explorem. In introductione nonnulla de ea re observavi (cf. p. 2 et p. 5) quae barbarorum priscorum monumentorum proprium (karakter) satis illustraverunt. Ad enucleandam priscorum operum Graecorum significationem primo me iis, quae Cypri inventa sunt, monumentis continere praestare videtur. Magno enim studio, quamquam non semper critica ratione, insula perscrutata est magnaque materia tam priscorum quam inferiorum temporum in lucem rediit. Accedit quod certis locis haec omnia inventa sunt, quod insuper traditio de Dea Cypri culta omnino constat. Cyprus Aphroditae insula est: a Cypro cognomen suum Cypridis sumpsit. Profecto Herodotus (I. 105) templum eius ad exemplar templi Aphroditae Uraniae, quod Ascaloni in Palaestina conspiciebatur, exstructum esse narrat (hic quoque, ut in diis Aegyptiacis, Herodotum operam dare, ut externis diis Graecos aequet videmus: ex Astarte Syriaca fit Aphrodite Urania!), idque antiquissimum omnium Aphroditae fanorum esse, sed ne inducamur in errorem Aphroditen Cypriam e Syria oriundam esse. Nam diu antequam auctoritatem Syro-Phoeniceam ponere licet, Cypri iam documenta deae praesentiae invenimus, simplicia sc. signa e rubra terra cocta, argili bracteas tantum, capite informi, gravi monili indicatis tantum, instructas. Tertio a. Chr. n. millennio adsribenda videntur. Hic illic bracteae e t. c., duobus capitibus instructae inveniuntur. Dea quidem cum infante reddita est. Iam priscis igitur temporibus ut dea Mater intellecta est haec dea, ut curotrophus. Sic eam expressam videmus signis e t. c., quae in Museo in urbe Karlsruhe et Neo-Eboriaci asservantur (cf. Winter, I. 11. 3; Cat. Cesnola-coll. New-York, p. 334), periodoque aeneae (bronsperiode), i. e. ante a. 1200, adscribenda videntur. Aetatis Mycenaeae ea sunt signa e t. c., quae ex obliquo situ avis rostrum imitare videntur (cf. Contenau, l. l. fig. 78; Winter, I. 14. 3). Tempore Mycenaeo ad oram Syriacam e Cypro adacta esse videntur. Nuditate quodammodo se cum „dea nuda" orientali cohaerere affirmant (cf. p. 5).

Temporibus demum postmycenaeis externa ars auctoritatem suam magis interponit. Elementa Assyriaca [1]) atque Aegyptiaca [2]) in repraesentationibus clarius prodeunt et partim

[1]) cf. Poulsen, Orient und Früh-gr. Kunst, p. 71 sqq. (de capillis pennis ornatis). [2]) cf. Dussaud, L'Aphrodite chypriote, Rev. Hist. Rel. 1916, p. 256.

in attributa Aphroditae, nunc Graecae, abierunt. Haec autem ad nostram argumentum non pertinent. Primo loco, quomodo prisca Dea mater Cypri evoluta sit ad Aphroditen Uraniam, ad deam cum morte sepulcrisque coniunctam, quaeritur. Cum morte eam coniunctam esse innumerabilia in sepulcris inventa signa e t. c. clare demonstrant.

Post eas, quas Dieterich in libro suo „Mutter Erde" instituit inquisitiones, hic non repetendas, satis constare videtur priscorum illorum temporum deam Cypriam ut Terram Matrem intellegendam esse. Utrum Cypri terrae conformationem (personificatie) ante oculos habeamus, an abstracta iam Terra Mater ut omnis creaturae mater culta sit, paulum refert. Sub Aphrodita Urania primam Terram Matrem latere constat. Nonne novimus ritum quendam fertilitatis in antiquis Paphi mysteriis usitatum: mystis in initiamentis phallus paulumque salis in manus dabatur [1]). Et quomodo Phoeniceus Adonis, elementum masculinum, quod iuxta Astarten et cum ea in Syria colebatur, tam libenter in Cyprium cultum receptus esset, nisi fertilitatis deae Astartae, Terrae Matri Orientis, eadem propria infuissent ac deae Cypriae [2]). Terra Mater autem est, qua omnis creatura nascitur, quae creata sua nutrit, tandemque omnia in sinum suum recipit. Homo primitivus cum morte ac nativitate eam coniunctam esse credit, ad verbum ei Mater est, quae mortuos in sinum recipit, ut ad novam vitam eos repariat [3]). Proprio sensu Pythagorea illa metempsychoseos doctrina nil nisi vetustissima haec popularis religio, ad logicae artis formam redacta, erat. Sic multa in sepulcris inventa signa e t. c. prisci huius temporis, optime ut Terrae matris, in gremio mortui „animam" [4]) detinentis effigies explanari posse mihi videntur, quasi sit novae vitae promissum. Hoc modo explicata, signa e t. c. novum mihi documentum afferre videntur Aphroditen Uraniam principio Terram Matrem fuisse. Quae opinio eo quoque firmatur, quod ex antiquis Aphroditae cognominibus apparet principio eam mortis deam habitam esse. Hanc etymologicam, semasiologicam argumentationem repetere longum est (cf. H. Güntert, Kalypso (1919), p. 185 sqq.).

Mori autem non solum in sinum Terrae Matris est redire. Fides popularis ac spes maiorem hic atque aliam beatitudinem quaesivit, mortemque quasi coniugium cum deo vel dea inferorum accepit [5]). Non solum apud Graecos sed etiam apud septentrionales gentes in has incidimus opiniones, quae fabulis Germanorum nunc quoque vivunt. Freyja, amoris atque pulchritudinis dea, eadem est dea mortis [6]). Sic Aphrodite, ut prisca Terra Mater, hoc modo cum mortuis cohaerere videtur. Conferas velim Persephonen, mortis sponsam. Sed viventibus quoque, modo natis, auxilio eius ac pace ut pulchritudinis deae opus est: curotrophus per totam antiquitatem Aphrodite appellatur (cf. e. g. Sophocl. ap. Athen. 13. p. 592 A; Epig. Nicod., Anthol. Pal. VI, 318). Cognomen „Matris" eandem fere vim habet ac „deae nativitatis". Terra Mater, fertilitatis dea, infantem modo natum fortuna prospera ac valetudine ut fortunet, optant, et quid mirum deam illam ut pulchram et sanam feminam cogitatione depingi [7]). Ita fortasse, quomodo Aphrodite Urania cum Terra Matre cohaereat intellegetur. Non dico Aphroditen Cypriam his proprietatibus separatim disputatis explicatam esse. Multa et alia Aegyptiacae et Syriacae originis elementa, necnon ipsa mythologia Graeca per saeculorum cursum primam eius naturam

[1]) cf. Nillson, Griech. Feste, p. 365. [2]) cf. Dussaud, l. l., p. 251. [3]) cf. Dieterich, l. l., p. 38. [4]) ibid., p. 31, n. 2. [5]) cf. Güntert, l. l., p. 83 sqq. [6]) cf. ibid., p. 98 sq. [7]) cf. pulchrae eae divae septentrionales (schoone fee), quae proprio sensu nil nisi fertilitatis ac nativitatis deae sunt. v. Güntert, l. l., p. 244.

valde mutaverunt. Et multa inferioris aetatis signa e t. c. tam artificibus quam iis qui ea emerunt profecto non eandem habuerunt significationem quam priscis illis signis attribuimus. More pristino antiquum symbolum saepe mortuis in sepulcrum dari solebat. Ex longinqua memoria vetustaque autem traditione granatum illud servatum videtur, quod mater aliquoties, velut infantis oblectamentum, manu tenet (cf. e. g. Winter, I. 141, 8), granatum non minus Aphroditae quam Persephonae sacrum[1]).

Adhuc nos continuimus in Cypriis monumentis, cum res ita bene se habeant quod ad materiam archaeologicam attinet. Sed in reliqua quoque Graecia, in Cycladibus, in continenti crebra vestigia, tam archaeologica, quam quae litteris servata sunt innotuerunt, priscam matris religionem clare affirmantia. Maxime manifesta sunt in terra Attica[2]), quamquam alibi minime desunt. Nec mirum! Nam semper vidimus e reliquiis archaeologicis effici posse typum almae deae matris fertilis ab initio in priscis culturis indigenam esse. Qua quidem re Dieterichi opinio affirmatur, qui omnem humanam cogitationem religiosam hinc proficisci putat. Haec quidem informatio nimis generalis, parum per se constans erat, quam quae amplius evolvi posset: statu suo semel occupato stabat, in religione populari vox quaedam austera personat, sed quodammodo aliis magis definitis deis concedit, quae antiquae religionis vires recipiunt, eamque nova specie perpetuant. Ipsa autem occulta quaedam potentia fit, cui vix appropinquare licet, quae horrore tantum appellatur. Paucis tantum locis a cultu remotis prisca sua forma se exhibet, venerabili occultorum mysteriorum nebula circumdata. Dodonae, Aegis oracula eius adhuc sonabant, in Achaea, haud ita procul a flumine Crethide (cf. Pausanias VII. 25. 13) in templo eius xoanon priscum adhuc conspiciebatur. Tegeae in foro ara eius erat (cf. ibid., VIII. 48. 8). Signa ut illud, cuius imaginem tantum apud Le Bas, Voyage arch., tab. 123, novimus, aliaque eiusmodi e t. c. Tegeae inventa[3]), cum hac dea cohaerere credas, eaque ut repraesentationes cum iis, quas in Cypro invenimus, congruentes interpretari licet. Sed hypothesis tantum extat. Signum quoque e t. c., Berolini in Antiquario (8361) servatum[4]) aenigma manet. Arte geometrica mortales quoque matres cum infantibus expressas esse scimus (cf. p. 7). Sed hic deam cum infante fictam esse potius credo. Gremium fere symbolice latum, placida totius tranquillitas, dum tota plane actio deest, approbare id videntur. Quae autem dea hoc Tanagraeo signo reddita sit difficile dictu. Demetera effictam esse vix credas et denuo quaeritur, deane illa mater, quae cum mortuis inferisque cohaeret, repraesentetur. Cum magni Graeciae dei in certam formam redigerentur, una tantum dea e Terrae Matris religione praecipuas proprietates tantopere recepit, ut nova quoque forma magnae auctoritatis partes agerent, sc. Demeter. Primitus dea fertilitatis Thracia, „frumenti mater“ fortasse, Eleusini cum Persephona se coniungit, cum dea propinqua chthonia arcte cum inferis cohaerente: postea inde relatio matris et filiae intima orta est qua semel tantum in Graecia religiosus matris amoris sensus in mythologia se manifestavit. Nec in solam filiam amorem suum Demeter contulit. Quisque mysta eius particeps fiebat, et huc potissimum mysteria Eleusinia intenderunt: deae progenies fieri, hoc ipsum initiandi petiverunt, ut olim, cum in sinum eius, in Matris

[1]) cf. etiam quae observavi ad p. 8, n. 8, de „polo“. [2]) cf. Dieterich, l. l., cap. II. [3]) cf. Martha, Cat. d. figurines en t. c. d'Athènes, 544. [4]) cf. Winter, I. 5, 1.

Terrae sinum rediissent, ad novam vitam renascerentur. Innumerabiliane ex omnibus Graeciae pàrtibus nobis servata signa e t. c. cum Demetere, cum Matre Terra quodammodo, ut dea mortem vincente, cohaerere ponamus oportet? Multae archaici schematis figurae, polo [1]) capiti imposito (cf. e. g. Winter, I. 139. 4; 139. 1; Bull. Acad. R. Sciences et Lettres, Copenhague, 1905, p. 98) profecto dearum effigies esse videntur: saepe eas in sepulcris inventas esse scimus. Equidem, quamquam semper Demetris nomen pronuntiare nolim, haec signa e t. c. ut effigies deae vitae ac mortis, aeternae fertilitatis, quae in gremio mortuum ut modo natum, ut denuo pariendum potius tenet, interpretari velim, eo magis cum e sepulcris certo proveniant. Ut dea illa certo nomine appelletur, plerumque fieri non potest. Nonnumquam nominis coniectura probabilis esse potest, cum constat ubi et quomodo signa inventa sint, eoque probatur deae, nonnumquam fortasse Demetris, nomen, quae partes quas descripsi agere posset. Quod Eleusini autem nihil fere inventum est, quod hisce cum notionibus congruat, cautius progrediamur admonet. Statuaria ars Demetera et Koren ràro intime coniunctas expressit et hoc quidem semper ut matrem cum filià adulta. Et si feminam nimis grandem puerum in gremio tenentem, quae in Erechthei zophoro ficta est [2]), ut Demetera cum Dionyso iuvene interpretamur, haec compositio nequaquam cum iis quas tractavi cohaerere mihi videtur. Compositio quoque in Parthenonis fastigio occidentali, quam adumbratione tantum a Carrey confecta [3]) novimus, ad tempus non liquet. Gen curotrophum, i. e. Terram Matrem, non expressam esse puto. Salvis iis, quas Furtwängler [4]) attulit causis, non verisimile mihi videtur, propterea quod Ge in publica religione V. saec. Athenis non eas partes egit, ut iure conspicuo hoc loco ficta esset.

Difficilior etiam fit quaestio de illis IV. saec. et Hellenisticae aetatis signis e t. c. Tam subtiliter, tam vere humane compositiones illae confectae sunt, ut haesites quare ad eas fingendas perductus sit artifex rogare; adeo sua ipsarum causa factae videntur. Opera ut ectypon parvum Athenis asservatum (cf. Winter, I. 140. 7) vel caelata plumbea lamina, Myrinae inventa (cf. Pottier et Reinach, Myrina, p. 210, f. 22) cum mortuis parum conveniunt. Attamen considerandum laminam eam plumbeam certo in sepulcro inventam esse, multaque et alia opera, arcte cum illis Tanagraeis cohaerentia, e sepulcris necropolis Myrinensis in lucem rediisse. Vix fieri potest ut subtilem religiosam mentem cum iis repraesentationibus coniungamus et more maiorum potius eas in sepulcra demissas esse ponere libet. In ipso potissimum mortuorum ritu pristina sollemnia tam diu persistunt. Cui enim gravis Antigonae austeritas in mentem venit, cum nostris quoque diebus polite cognatis mortui facultatem faciat fossor officio perfungendi, dum palam terrae in sepulcrum mittunt. Et ubi pristinus maiorum mos venerabilis in vanam consuetudinem abiit, nulla causa erat cur prisca exempla hieratica sequeretur artifex. Suo consilio utens secundum temporum inclinationem opera sua informare potuit. Fieri tamen potest, ut nonnulla huiusmodi signa non sepulcris ac mortuis facta sint. E. g. nobis servatum est signum e t. c. votivum, repertum in templo Magnae Matris ad pagum Mamurt-Kaleh (cf. Conze et Schazmann, Mamurt-Kaleh, Jhrb. d. Arch. Inst.; Ergh. 9, p. 40) feminam reddens, quae infantem laeva mamma lactat. Effigiem deae ibi

[1]) cf. quae de „polo“ observavi ad. p. 8, n. 8. [2]) cf. Schoene, Gr. Rel., t. II et Reinach Rép, Stat. III. 202. [3]) cf. Collignon, Le Parthénon, t. 54. [4]) cf. Meisterwerke, p. 236 sq.

cultae non esse constat; scimus enim eam fictam esse cum duobus leonibus ab utroque latere ei appositis, interdum quoque catulum in gremio tenentem. Figuram ex voto dedicatam, pro suscepta prole fortasse, nos ante oculos habere, grataeque precantis personam exprimentem ponere libet. Neque stilo neque expressione a ceteris discrepat. Hic ut plerumque vulgare Hellenisticae aetatis officinae opus videmus. Tutissimum esse videtur non certo nomine has repraesentationes appellare, ne deas quidem curotrophos eas vocare. Usu demum, quem singulae habuerunt, nomen quoque designatur. Et quo consilio factum sit, ubi inventum sit quodque opus accuratius perscrutandum est, si caute hypothetico nomine singula signa instruere volumus. Raro autem singulas eas res perspicere possumus. Hoc tantum statuimus Hellenisticam artis industriam permultas matris cum infante compositiones creavisse, quod ad stilum attinet, „realisticas" vocandas, quantum formam matris mortalis cum infante reddant. Exotica Graecia scilicet patriae Graeciae non cedit. Sicilia insula, ager imprimis frumentarius, magnas in mytho Demetris partes egit. Multae profecto e sepulcris repraesentationes matrum cum infantibus prodierunt. E. g. signum e t. c. affero, Syracusis in sepulcro (a. fere 450 a. Chr. n.) inventum (cf. Kekulé, Terr. Siz., p. 8, fig. 2c), quod Kekulé inter crepundia ducit. At certo pupam eam esse non puto. Multo magis signum illud cum iis, quas tractavi, religiosis rebus cohaerere mihi videtur. Quod idem pertinet ad alia iam tractata signa e t. c., in Sicilia vel in Italia meridionali inventa. Ea tantum, quae Paesti inventa sunt signa e t. c. (cf. Gerhard, Ant. Bildw., tab. XCVI) fortasse secernenda sunt. Fieri potest ut templi simulacrum iis reproductum sit. Hoc certo thronus altus, schema matris et infantis prorsus repraesentativum, mirum profecto hac aetate, significant. Cum Gerhard autem Demetera curotrophum deam illam appellare nimis incautum mihi videtur. Memores simus nos in extremis Graeci cultus finibus versari. Curotrophos deas illas, speciei ratione habita, appellare possumus, sed generale tantum nomen illud esse bene conscii simus. Ge imprimis, sicut Demeter curotrophus vocatur, sed Artemis, Aphrodite, Leto, Irene, Athene, dei quidem Hermes, Apollo, flumina, regiones hoc nomine omnes appellantur[1]). Posterioribus temporibus, „infantium patronae", valorem hoc nomen habuit, „in pariendo adiutrix" quoque valuit. Hoc enim sensu Leto, Irene, Hermes fortasse eo nomine appellantur. Ubi Pallas autem, Atticae terrae patrona, Aphrodite (cf. p. 41), Demeter, Ge imprimis id nomen gerunt, subtiliorem ac priorem sensum habet. Priscum Matris Terrae religionis reliquum tunc videmus. Quatenus curam infantium atque educationem tuetur, curotrophus appellanda est, eoque munere deae ei succedentes plus minusve manifeste funguntur. Ea igitur, quae iam tractavi signa e t. c. et quae ut Terram Matrem infantem, sc. mortuum in gremio tenentem interpretatus sum, non proprie curotrophi appellari possunt, quamquam considerandum est, quantopere hae notiones altera in alteram abeant. Redire in sinum Terrae, infantem denuo Terrae Matris fieri ad verbum fere cogitandum est[2]).

In Graeci mundi extremis finibus difficilius fit monumentis nomina adstruere. Eo quo monumenta nostra orta sunt tempore omnia exaequantur, undique nova recipiuntur et iis quae sunt assimilantur. Demetris cultus, ne loquar de Magna Matre, Isidis venerationem iam sibi assumpsit eoque novum quoddam sibi elementum assimilavit. Utriusque mysteria iunguntur. Isis quoque omnium hominum mater erat; magis etiam conspicua in ea fuit

---

[1]) cf. Roscher, s. v. [2]) cf. Dieterich, l. l., p. 55 sqq.

relatio matris et infantis, quippe quae artissimo vinculo cum Horo coniuncta erat. Non dubito quin haec Graeco-Orientalis religio potentior fuerit. Sed priscos Italicos deos, quos hisce in finibus inveniebat, auctoritate quid apud eam valuisse mihi persuasum habeo. Qui Itali novos deos venerati sunt, multa in eos priscis deis propria, quae dilexerunt, sine dubio reduxerunt. Huius rei nobis ratio habenda est in recensendis permultis signis e t. c., matrem cum infante reddentibus, Capuae inventis. Denuo satis certiores facti sumus de loco, quo monumenta illa inventa sunt, quamquam traditio de nomine deae cultae, qua Cypri niti potuimus, plane deest. Ii, qui primum de hoc invento egerunt [1]), de templo tantum matronalis deae, II. a. Chr. n. saeculo exusto neque denuo restructo loquuntur. Priscam deam Italicam, deae Terrae Matris similem ante oculos habere videmur. Ad latus templi septentrionale multae (fere 150) statuae e lapide calcario inventae sunt, quae omnes feminam sedentem, unum vel plures (ad 12 usque) infantes in gremio tenentem reddunt. Interdum mater infantem lactat. Nonnullarum inscriptionum ratione habita ponere licet has statuas ex voto ibi positas esse [2]) pro suscepta prole. Quod quidem varius infantium numerus affirmare videtur. Utrum figura feminae sit gratae donatricis effigies an ipsius deae, incertum autem manet. Equidem curotrophum, infantium patronam, potius expressam esse credam, eo magis, quod nonnulla monumenta inventa sunt, quae stilum valde primitivum monstrant (cf. e. g. Cat. Terrac. Brit. Mus. D 229, fig. 71; Reinach, Rép. Stat. IV. 157). Huc accedit, quod multa signa in sepulcris inventa sunt, alia autem, attributis, e. g. granato, clare designata sunt ut cohaerentia cum cultu deae cuiusdam fertilitatis ac mortis. His e sepulcris repraesentationibus deam expressam esse supra iam fusius exposui. Mihi quidem constare videtur nos priscam Italicam deam ante oculos habere, quae quamquam a Graecis partibus auctoritatem subiit, manifeste tamen originem suam a Dea Terra Matre indicat. Figurae feminae hic vulgo divinam quandam vim infuisse puto. Ad nostrum argumentum imprimis pertinet nos typi matris evolutionem in hac ingenti copia monumentorum, quorum magnam partem officinae antiquae apparatus contribuit, eodem modo prosequi posse ex forma valde primitiva usque ad typum posterioris Hellenisticae aetatis, atque Cypri nobis licuit. Antiquane illa Italica dea eadem fortasse fuerit atque illa in media Italia culta dea Iovia Damusa, cuius veneratio cum ea Iovii Flagii et Veneris Genetricis cohaerebat, quaestionem non solvere possum [3]). In urbibus mediae Italiae Hellenisticis cultum deae Matris non ignotum fuisse templi simulacrum, iam tractatum, affirmat (in Mus. Vaticano; cf. Amelung, Vat. Skulpt., I., t. 48). Suo loco de interpretatione probabili deque stilo Campanam artem fortasse indicante iam egi (cf. p. 22). Hoc loco eo redeo, ut indicem fieri posse ut in Capuae vicinitate matris deae veneratio floruerit, purum Graeco-Hellenisticum characterem exhibens.

Templi simulacri quoque reproductio signum e t. c., in Pal. Conserv. Romae asservatum esse videtur (cf. Winter, I. 149. 5). Quae autem sit dea expressa, dicere non possim.

Ad Romam nunc pervenimus, ubi „hominem“ iure „humi filium“ voces, quamquam, quomodo cognatae sint voces „humus“ ac „homo“ Romani ipsi ignorarunt [4]). Roma Tellurem matrem, quae idem fere, restrictius quidem, valuit atque in prisca Graecia antiqua

[1]) cf. Bull. d. Inst. 1873, p. 145 sqq. [2]) cf. Lenormant, Gaz. B. Arts 1880, I, p. 105 sqq., 218 sqq. [3]) cf. ibid., p. 220 sq. [4]) cf. Dieterich, l. l., p. 76.

Terra Mater, mediam deam expressit in eo monumento, quod quasi summi fortunae suae culminis symbolum exstruxit, sc. in Ara Pacis. Romae vestigia minime dubitanda invenimus priscae Terrae Matris venerationis [1]), quae moribus antiquis ac consuetudinibus se manifestant, quae cognoscere licet in antiquis diis, ad mythologiam Graecam adaptatis, Venere, Cerere, Fortuna, Magna Matre. Omnes Terrae Matris hereditatem ceperunt. Iuno quoque, Regina Coeli, primitus minime caelestis ingenii erat. Est femina ac mater, in cuius favore omnia posita sunt, vitae ac mortis domina, dea mater quaedam chthonica [2]), cum Terra Matre arcte cohaerens. Complures matronalis deae repraesentationes Romanae aetatis nobis servatae sunt. Ectypon e t. c. tantum affero, Rheam cum Iove infante reddens (cf. v. Rohden, Archit. Tonrel., t. 10), quam repraesentationem in sarcophagi fragmento, Florentiae (in Officiis) servato (cf. Wernicke, Arch. Ztg. 1885, p. 230) reperimus, eandemque in nummis nonnullis imperatoriae aetatis (cf. p. 36). In mentem revoco duo signa aenea (Parisiis in Bib. Nat. 146 et 56, cf. Cat. Babelon et Blanchet), quorum alterum attributis ut Diana Lucina significatur; deinde eas repraesentationes difficiles interpretatu, quae Isidem fortasse exprimunt (cf. p. 32), matronalem illam re vera magnae in imperio Romano auctoritatis deam. Imaginum in nummis expressarum mentionem facio, dico Fecunditatem Augustam, Saeculi Felicitatem, Pietatem Augustae, Vota Publica, quae inde ab a. 150 p. Chr. n. divinae matris cum infante imaginem longe lateque diffuderunt. Notatu dignum est, pro notionibus illis abstractis Juliano II Apostata imperatore demum deam propriam venisse, Isidem cum Horo infante, ut Vota Publica (cf. Cohen, VI, t. XI. 97); sed iuxta eas divinarum matrum repraesentationes, quarum nomina indicare plerumque contigit, nonnullae aliae innotuerunt, difficiliores definitu. Nulla mihi probabilis interpretatio nota est statuae deae, solio insidentis, infantem in gremio tenentis. Ab utroque latere sphinx ei apposita est (inventa est Clusii; cf. Gerhard, Ges. Ak. Abh., t. 49, 4/5). Gerhard eam ut Cererem aut Bonam Deam Curotrophum interpretatus est, deam quandam inferorum, nativitatis, liberorum patronam. Modus, quo positae sunt sphinges, Magnae matris leones potius in mentem revocat, sed interpretationem probabilem non affert. Signum quoque e t. c., quod Gerhard, l. l., affert, non ut Cererem curotrophum interpretari licet. Angues, qui ab utroque Deae latere ficti sunt, cum inferis cohaerent, cuius rei ratione habita, infantem, quem dea lactat, cum inferis quoque componendum esse puto. Considera denique anguem Iunonis quoque sacrum esse, e. g. Lanuvii. His omnibus perspectis rebus Iunonem Lucinam deam illam potius vocare velim. De nonnullis signis e t. c. Praenestinis (cf. Lenormant, l. l., p. 219; Gerhard, Ant. Bildwerke IV. 1; Daremberg et Saglio, s. v. Ceres, p. 1062) maiore fortasse certitudine agi potest. Cicero, de divin. II. 41, nonnulli et alii scriptores [3]) nobis narrant Praenesti templum atque oraculum Fortunae Primigenae fuisse, quae cum duobus infantibus Iove et Iunone exprimebatur. Nonne in promptu est eas apud Daremberg et Saglio et Gerhard, l. l., depictas compositiones ut triadis huius repraesentationes considerare? Equidem alia nomina quaerere nolim [4]), cum auctores de deae nomine consentiant. Infitiari nolo priscam illam deam Italicam aliarum dearum auctoritate, imprimis Cereris et Demetris, affectam esse. Hoc ipsum signum e t. c. Praenestinum (cf. Lenormant, l. l.) designare videtur, ubi Fortuna, Iovem infantem in gremio

[1]) cf. Dieterich, Caput IV. [2]) cf. W. Otto, Juno, Philol. LXIV (1905), p. 161 sqq. et 220. [3]) cf. Fernique, Etude s. Préneste, p. 86 sqq. [4]) quod quidem conantur, e. g. Gerhard, Prodr., p. 66; Daremb. et Saglio, l. l.

tenens, iuxta Iunonem iam adultam expressa est. Non solum auctoritas triadis Demetris, Persephonae, Iacchi infantis in mentem venit, sed etiam priscae illius Iunonis figurae vestigia animadvertere videmur. Quae iuxtapositio non plane a Demetris cultu desumpta, sed parallela quadam evolutione orta esse videtur. Fortuna enim, quamquam Magnae Matris mythi auctoritatem subiit, nil nisi prisca Terra Mater; Iuno autem ipsa, antiqua chthonia dea mortis ac fertilitatis est.

Priscum illud nativum ingenium Iunonis procul a Roma, a publico cultu reperimus in Celticis, Germanisque provinciis, ubi miles legionarius, homines quoque humili loco nati negotiantes, in diis matribus ibi cultis ea quae e sua ipsorum religione propria noverunt, reppererunt. Matres, Matronas, sed etiam Iunones antiquas illas deas matres Celticas et Germanicas, „Sulevias", priscas loci genios, diversa specie semper Terram Matrem, vocabant. Et sicut Terra Mater, Matronae illae non tantum fertilitatis deae erant, sed ut Nornae, Parcae illae septentrionales, vitae ac hominum morti consulebant[1]). Innumerabilia huius cultus monumenta in museis Franco-Galliae, Provinciae Rhenanae, Hispaniae asservantur, quae quamquam artem Romanam clare manifestant, haud minus priscae originis vestigia prae se ferunt. Interdum una e matribus expressa est, infantem in gremio tenens, ut curotrophus, recens natorum patrona.

Speciali animi attentione sunt digna monumenta deae Nehalenniae, quae attributis toties Isidi Romanae assimilata videtur. Haec autem assimilatio naturae similitudinem indicat: Isis, cum Demetere iuncta, imprimis Dea mortis est. Et mirum: in multis Nehalenniae aris e. g. canem invenimus, symbolum evidens septentrionale inferorum[2]). Cuius rei habita ratione deam ignotam, in ara quae in pago Epinal asservatur (cf. Rev. Arch. 1883, t. 1—4) expressam fortasse melius explicare possumus. Brachiis suis puerum atque puellam detinet, pannis involutos, quorum autem facies ut adultorum sunt. Feminae abdomen in canem abit. Peculiare capitis tegumentum in mentem revocat matronarum capitis ornamentum in forma tiarae (tulband). Infimae aetatis deductionem matronarum cultus ante oculos habere videmur (cf. p. 35).

Accuratius tandem consideremus inventum notatu dignum, quod Poetovioni factum est (cf. p. 35)[3]). „Nutrices Augustas" repraesentari inscriptionibus probatum est. Easdem in provincia Africa novimus (cf. Rev. Arch. 1876, II, p. 127) quam aetate imperatoria totam fere agrum imperatorium fuisse scimus, et Romae quoque eiusmodi inscriptio votiva servi imperatorii inventa est. Quarum rerum ratione habita monumenta cultus domus Caesaris ante oculos nos habere ponere licet. Inde ab a. 180 p. Chr. n. vectigal Illyrici ad Caesaris aerarium translatum est. Vectigalia illa imperatoriis servis exercenda delegata erant. Ab iis cultum nutricum Augustarum Poetovionem inductum esse puto; quod vulgo autem tres inveniuntur Nutrices, altera ex parte eas cum cultu matronarum cohaerere indicat, quae in Austria superiore quoque cultae esse videntur.[4]) Proprio sensu cultus nutricum nil nisi matronarum cultus paulo magis in Romanam formam redactus esse videtur.

Multae ex iis repraesentationibus provincialibus graviter signa illa e. t. c. Hellenisticae aetatis in mentem revocant, sicut ea quae Capuae novimus[5]), et provincialia illa artis indu-

[1]) cf. Güntert, l. l., p. 243 et 57. [2]) cf. Güntert, ibid., p. 55 et 61. [3]) cf. Gurlitt, Pettauer Antiken; Arch. Epig. Mitt. a. Oesterr. 1896 (XIX), p. 1—25. [4]) Vindobonae in Museo, itemque in Museo in pago. Deutsch-Altenburg nonnulla signa e t. c. mihi innotuerunt, quae e Gallia importata esse terra samia, qua facta sunt, affirmat. [5]) cf. Dieterich, l. l., observ. ad p. 79 (p. 133).

striae directe ex Italicis deducta esse videntur. In officinis, quas novimus in Provincia Rhenana et in Franco-Gallia [1]) hi typi recepti sunt et longius evoluti, prout pia ementium voluntas poscebat.

Ubique igitur in imperio Romano, ante et diu post Christum natum divinarum et mortalium feminarum cum infantibus repraesentationes repperimus; ubique ante populi oculos erant, in manibus versabantur. Et praecipue notandum est has repraesentationes non solum principibus proprias esse, sed etiam et imprimis infimo loco natis, i. e. maiori populi parti notas atque caras esse. Non tam earum arte gavisi sunt simplicis cordis homines quam eo quod exprimitur. Religiosae suae necessitudini iis satisfecerunt, religiosas suas notiones hisce manifestis repraesentationibus sustinuerunt.

[1]) cf. Tudot, Coll. de Fig. en argile e. q. s. Parisiis, 1860.

VI.

De forma matris cum infante sicut ab artificibus priscis Christianis efficta est.

Falso fortasse artem Christianam per se considerabimus. Historice enim nec loqui possumus de Christiana religione nisi eam consideremus una cum reliquis religiosis aetatis imperatoriae phaenomenis, nisi eam velut anulum ultimum fortasse catenae animi evolutionis totius antiquitatis spectemus, nec artem Christianam velut solam per se ipsam factam contemplari licet. Profecto autem falsum est priscam Christianam artem gentili eiusdem temporis arti prorsus opponere; immo vero longius etiam progrediendum: priscam Christianam et paganam artes ut duas et inter se diversas considerare non licet, ne ei quidem, qui artem Christianam ab eiusdem temporis gentili arte pendere suscipit. Ars Christiana et gentilis ars initio una et eadem est [1]), propterea quod primaevi Christiani et gentiles unum tantum populum, magnum illud Nomen Romanum efficiunt, in eadem societate et inter se vivunt. Nonne scimus Christianos interdum artifices deorum signis fabricandis victum quaesivisse [2])? Rationem autem inter ambas si definire accuratius velis, artem priscam Christianam partem esse artis, quae aetate imperatoria viguit, dicas, partem primo humilem quae in obscuro tantum occultam vitam agens, paulatim crescit, vivendo vires acquirit. Tandem autem spiritu suo omnia complet, totam et opulentam artis gentilis hereditatem formarum, per multa saecula indagando et laborando comparatarum, sibi assumit et ad Christianas repraesentationes reddendas adhibet. Re vera, novas formas quaerere haud necesse! Praecedens nostra disceptatio iam satis id nos docuit. Vix fieri potuit ut post infinitos modos, quibus antiquitas gentilis matrem infantem in gremio tenentem reddidit, novi quidam crearentur.

Iam observemus quas repraesentationes, ad nostram disputationem pertinentes, ars prisca Christiana nobis reliquerit. Primo loco nimirum nobis in mentem venit Maria Mater, Christum puerum secum habens, compositio illa quae per saeculorum cursum in cultu Christiano atque religione locum tam insignem obtinebat. Hisce autem priscis temporibus cautius nobis inquirendum, quid valeant eiusmodi compositiones. Etiamsi apparet plurimas earum Mariam cum Christo infante reddere, raras tantum mortalis matris effigiem effingere, nihilominus constat non eandem vim religiosam hisce atque inferioris aetatis repraesentationibus inesse.

Cum pervolveris librum Herrmanni, c.t. Denkmäler der Malerei des Altertums, evolventi tibi Wilperti librum, c.t. Katakombenmalereien, praestantesque imagines attente inspicienti peculiaris sensus obrepit. Si enim significationem iconographicam omittas, gentilis artis mo-

[1]) cf. L. v. Sybel, Chr. Ant. I, p. 9 sqq. [2]) cf. Lehner, Mariendarstellungen, p. 283.

numenta ante oculos te habere credas. Re vera, quo melius appelles nomine ea, quam illo „Christliche Antike"! Unum tantum inter gentilia Christianaque monumenta interest: haec, coemeteriorum picturae, vulgo picturis muralibus in palatiis Romanis repertis longe cedunt: penicilli ductus saepe incompositus, rudis, propositum parum assequens. Fusius per latas lineas pingendi genus ex impressionistico pingendi genere, tunc temporis vigente, evenire credas, sed eo modo nullum singularem effectum pictor peragit. Nil maius, nil vero aliud, si rationem iconographicam negligas, Christianus artifex appetit quam gentilis, neque negare possis hunc vulgo illo melius destinata sua collineavisse. Picturae in coemeteriis repertae magna parte a mediocribus, saepe humilibus artificibus confectae sunt. Christianos autem operibus suis arte factis haud elegantiam, haud speciem quandam externam imprimis petivisse bene scio. Coemeteriorum pictura funeraria ars est: repraesentationes eius in Paridisi, beatorum sedis descriptionibus versantur. Homo autem ea quae fore sperat atque credit, quae oculorum sensum tamen prorsus effugiunt, cogitatione tantum visibilis huius mundi formis animo concipere potest; itaque in formis gentili quoque arte usitatis ars novi argumenti floret, ita prisca symbola sententia nova complentur. In formis imprimis Christianae artis, quae ad argumentum meum pertinent, ad tempus me continebo. Primo loco quae nobis vetustissimae in coemeteriis picturae matres cum infantibus, praesertim Mariam cum puero suo reddentes, servatae sint inquirendum est.

In coem. S. Priscillae pictura muralis, cuius pars superior tantum servata est, Mariam $^3/_4$ adversa ad spectatorem facie sinistrorsum spectantem praebet[1]). Manu dextra Christum puerum nudum uberi dextro admovet; is autem caput retro flectens dextra ricam eius occiput tegentem, per umeros brachiaque dependentem prensat. Maria, plane veste induta, leviter puerum circum corpus sustinet. A sinistra philosophus stellam supra Mariae caput surgentem monstrat. Sive eum ut Isaian, Messian e virgine nascentem praedicentem (cf. Is. 7, 14) interpretamur, sive Bileam prophetam eum putamus (cf. Num. 24, 17; haec interpretatio mihi probabilior videtur, stella praesertim tam clare expressa, cum Bileam propheta quoque in circuitu picturae coemeterialis saepe occurrit; vide Wilpert, Katakombenmal. in textu p. 199 sqq.), certe Mariam cum Christo puero hic compositam cum alia figura esse statuere licet. Longe antiquissima haec muralis pictura, primo II. saec. dimidio orta esse videtur.

In aliam compositionem recepta Maria cum infante in coem. Petri et Marcellini invenitur[2]). Ad eam in cathedra sedentem, $^3/_4$ sinistrorsum adversa spectatori facie, utrimque Magus accedit. Christus puer a matre, ambabus eum manibus amplexa, aversus, tunica indutus, erectus in gremio eius sedet, paulum sinistrorsum, spectatorem intuens. Minus manifestum est, in quam compositionem Maria cum infante recepta sit in pictura murali, altero III. saec. dimidio in coem. S. Priscillae facta[3]), ita ut Kraus[4]) primam hic Mariae cum Christo per se constantem repraesentationem ante oculos habere putet. Wilpert[5]) autem explicite demonstravit formam Mariae cohaerere cum compositione a dextra parte, ubi sacro capitis velamine virgo Christo despondetur. Maria formae ipsi e Coem. Petri et Marcellini similis, $^3/_4$ ad dextram adverso corpore, caput sinistrorsum ad spectatorem convertit; brachiis suis Christum puerum nudum tenet, aetate atque habitu puerum antiquissimae illius in eodem coemeterio muralis picturae in mentem revocantem. In coemeterio S. Domitillae (fig. 11) matrem

[1]) cf. Wilpert, Katakombenmal., t. 21, 1 et 22. [2]) ibid., t. 60. [3]) ibid., t. 81 [4]) cf. Christl. Kunst, I, p. 191. [5]) l. l., in textu p. 206 sqq.

cum Dei filio in compositionem adorationis magorum denuo receptam videmus, qui numero quattuor, bini utrimque Mariae appropinquant [1]), quae in cathedra sedens, paulum sinistrorsum ad spectatorem versa, dextram porrigit. Laeva autem Christum puerum ab ipsa aversum, tunica indutum, erectum in gremio sedentem amplectitur. Pictura primo IV. saec. dimidio orta videtur. Paulo antea (e III. saec. fine) in eodem coemeterio pictura, valde laesa, facta videtur. Maria sicut in coem. S. Priscillae cum propheta depingitur. Is autem veste, ut a sanctis geritur, indutus est; Maria adversa facie a sinistra sedens, Christum puerum, tunica indutum, ab ipsa aversum ambabus manibus complecitur [2]). In coem. quoque S. Calixti magorum adoratio matrem nobis Mariam ex obliquo situ a dextra depictam, ad magos tres appropinquantes dextram tendentem, monstrat [3]). In gremio eius Christus puer, in laevum brachium reclinans, sedet, manus tendens (prim. IV. saec. dimid.). Paulum tantum ab hac compositione, matris in utraque epiphania, in coem. maiore [4]) reperta, habitus discrepat. Christus puer recubat supinus in brachio laevo matris, dextra eum amplectentis. Incunabulis adhuc tectus videtur. Utraque repraesentatio ex obliquo situ reddita, ex altero IV. saec. dimidio oriunda videtur. Eiusdem generis cum tribus magis compositionem in coem. ad Vigna Massimo, ut dicitur, medio IV. sac. oriundum invenimus [5]). Maria, $^3/_4$ adversa facie in cathedra sedens, dextro genu Christum puerum tunica vestitum, plane adversa facie, manum ad magos tendentem tenet. Obscura atque non clara in coem. Domitillae pictura e IV. saec. fine [6]) eodem modo nobis matrem puerumque praebet. Tandem in Domitillae quoque Coemeterio ex eodem tempore trium magorum adorationem ordine converso expressam videmus [7]). A dextra picturae parte Maria $^3/_4$ adversa facie depicta Christum puerum aversum ambabus manibus sedentem in gremio tenet, ad magos dona afferentes manus tendentem.

Christiani nimirum argumenti repraesentationes per longum temporis spatium latebris se occultare debebant. Sixtus III papa (432—440) quantum scimus primus monumentis suam Mariae virginis venerationem significavit. In apside ecclesiae S. Mariae Maioris coronationem Mariae effingi iussit idemque Mariae reginae informationem primus concepisse videtur [8]). Iam hic Mariam cum Christo infante solam per se constantem post concilium demum, Ephesi habitum (431), solitam factam esse observabo. Nulla autem ex iis priscis monumentis, quoad ad Mariae cum Christo repraesentationem pertinent, nobis servata sunt. Mente tantum illa fingere possumus, inferioris aetatis arte facta opera intuentes. E. g. in ecclesia S. Mariae Antiquae pictura muralis magnopere laesa, secundum Wilpert e V. saec. oriunda, conspicitur [9]). Sin autem cum simili repraesentatione in ecclesia funeraria SS. Felicis et Adaucti [10]), secundum inscriptionem a. 528 orta, eam componimus, maxima inter utramque convenientia picturam muralem in eccl. S. Mariae Antiquae potius VI. saec. ortam esse nos docet. Maria plane adversa facie in cathedra gemmata, veste imperatoria induta sedet, in gremio Christum infantem, adversa quoque spectatori facie, manu codicem gemmatum tenentem, dextra sua umerum, sinistra femur eius amplectens, secum habet. Altera muralis pictura nullo modo nisi vestimentis a repraesentatione in eccl. S. Mariae Antiquae discrepat. Maria purpureo talari induta, palla super occiput eius obducta, pur-

---

[1]) ibid., t. 116, 1 et 141, 6. [2]) ibid., t. 83, 1 et in textu p. 191, fig. 14. [3]) ibid., t. 144, 1. [4]) ibid., t. 166 et 172. [5]) ibid., t. 212. [6]) ibid., t. 231. [7]) cf. Wilpert, l. l., t. 239. [8]) cf. Wilpert, Mosaiken und Malereien, in textu p. 1128 sqq. [9]) ibid., t. 133—134. [10]) ibid., t. 136.

pureis calceamentis calceata, manifeste a mortalium mulierum habitu distincta est. Christus pro codice volumen obsignatum tenet manu. Haec forma ut „Byzantina“ quae dicitur manet, quamquam Maria hac inferiore aetate alio quoque modo efficta est. De his autem post saec. V. ortis formis, quarum quae dicitur Hodegetriae passim tantum formam commemorabo, accuratius non agam.

Notandum vero monumentum, pictura muralis in coem. maiore inventa (e IV. saec. fine), accuratius mihi explicandum videtur [1]. Imago clipeata nobis matrem adversa plane facie manus in orantis modo attollentem monstrat. Ante eam, adversa quoque facie, puer apparet, non orans. Ab utraque parte monogramma Christi expressum est. Quam ob rem Wilpert [2], considerans quoque puerum non orantem effictum esse, formamque eam in arte Byzantina ut Dei matris imaginem permanere, hic Mariam cum Christo puero in orantis modo pictam esse putat. Secundum eum haec pictura muralis Mariam priscis iam ecclesiae temporibus deprecatricis partes egisse comprobat eiusque in ecclesia catholica positionem natura sua iam eandem fuisse priscis atque posterioribus saeculis. v. Sybel [3] iure, ut opinor, huic argumentationi repugnavit, picturamque ut matris mortuae cum filio interpretatus est. Nonnullas et alias matrum mortalium cum infantibus repraesentationes hoc loco omittere nolim, quamquam stantes effictae a proposito meo proprie procul sunt. Inveniuntur in opere musivo, caedem innocentium exprimente, in eccl. S. Mariae Maioris (e primo V. saec. dimidio), matresque infantes suos sedentes in brachio laevo tenentes reddunt [4]. Eodem loco eiusdem temporis similem matris Mariae cum infante repraesentationem videmus [5]: forma „Hodegetriae“ est, cuius antiquissimum exemplum mihi innotuit in: Bauer et Strzygowski, Alexandr. Weltchronik, fragm. 8 C vers. ex ineunte V. saec. Postea aetate Byzantina haec quidem forma late pervulgata est.

In tractanda pictura libris egregiis usus sum, qui imaginibus fidelibus facultatem mihi iudicandi de tempore, quo factae sint picturae, praebebant. Materia ea insuper summa cura saepius pertractata est. In rebus minus secundis sum, cum in arte statuaria quae repraesentationes ad propositum meum pertineant mihi investigandum est. Artis statuariae aetatis imperatoriae historiam stilisticam, si disputationes nonnullas speciales neglegimus, non habemus [6]. Quod ad artem statuariam Christianam attinet paulo meliore condicione utimur. Haec perpetua atque cohaerente cum arte gentili comparatione tractanda sit, qua quidem ratione a nonnullis adhibita, normae generales iam in chao elaboratae sunt [7]. Maxima nobis negotia sarcophagi praebent. Quos hic sarcophagos persequemur, magna ex parte imaginibus tantum minus commodis, a Garucci in lucem editis, cognovimus, ita

---

[1]) cf. Wilpert, Katakombenmal., t. 161, 1; 207—209. [2]) ibid. p. 209 sqq. [3]) cf. Christl. Antike I, p. 260 sq. [4]) cf. Wilpert, Mosaiken, t. 69. [5]) cf. ibid. t. 57—8. [6]) A. Hekler, Römische weibliche Gewandstatuen (Münch. Arch. Stud. 1906) de parte tantum agit; A. Strong, Roman sculpture, 1907, et H. B. Walters, The Art of the Romans, quasi duce tantum generali utaris. Ne libri quidem F. Wickhoff, Röm. Kunst (1895) et A. Riegl, Spätrömische Kunstindustrie, I (1901), quamvis magni momenti sint, lacunam illam prorsus complere possunt. Modo Vindobonae usitato uterque historiam vitae ac cultus antiquorum basin habet et ex historia artis generali propriam auctoris opinionem elucidat. Historiam autem monumentorum stilisticam, sensu circumscripto, neuter dat. Quamvis latus sit conspectus, Cagnat et Chapot, quoque, Manuel d'Arch. Rom. I. (Paris. 1916), ut nomen eius indicat, historia critica stilistica artis proprio sensu non est. [7]) Imprimis L. v. Sybel, Chr. Antike I/II (1906—9) optime de his rebus meritus est; cf. etiam Wittig, Die altchristlichen Skulpturen im Deutschen Camposanto in Rom (1906).

ut plerumque quando confecti sint difficile dictu. Satis igitur mihi erit ea monumenta, quibus matres cum infantibus repraesentantur, ordine enumerare. Summatim post saec. IV. peractum sarcophagos illos ortos esse enuntiare licet. Vulgo Maria cum Christo puero repraesentatur, semper quidem in compositionem magorum adorationis vel in alium contextum recepta. Forma creberrima Mariam matrem ex obliquo situ, sedentem in artisellio ex arundine nexo, cuius storea interdum significatur, reddit. Plerumque velata, aversum ab ipsa Christum puerum ex obliquo situ manus extendentem, ut magorum dona accipiat, in gremio tenet. Hanc repraesentationem in compluribus sarcophagis reperimus, Romae in Laterano asservatis (cf. Garucci, V. 358, 1; 359, 1; 365, 2 (fig. 12); 384, 5; 398, 3 et 4) et in Vaticano (cf. ibid., VI. 435, 7); Syracusis (cf. ibid., V. 365, 1), Parisiis (cf. ibid., VI. 447, 2). In sarcophagis, qui in oppidis Ravello et Tolentino asservantur (cf. ibid., V. 398, 16 et Kraus, Chr. Kunst, I, p. 152) Maria dextram porrigit; sarcophagus Romae in Vaticano asservatus (cf. Garucci, V. 377, 1) puerum stantem in matris gremio reddit. Sellam paulum discrepantem, plicatili interdum sella vel saxo subeunte, sarcophagi Arelati et Tolentino in oppido asservati praebent (cf. ibid., V. 317, 4; 303, 3). Paulo magis adversa facie Mariam in ectypo, nunc propylaeis eccl. S. Marci Venetiis affixo, videmus. Quod ectypon Syriaca determinante auctoritate ortum esse apparet. Hic quoque Maria cum Christo adorationis magorum partem efficiunt [1]). Indicem hunc plenum atque perfectum non esse scio. Nonnullos VI. vel VII. saec., sarcophagos omisi. Satis autem demonstrat repraesentationes Mariae cu minfante in arte statuaria decorativa locum quendam specialem atque peculiarem obtinuisse. Plerumque cum adoratione Magorum cohaerent, numquam per se solae constantes inveniuntur [2]).

Eiusmodi formam adversa autem facie et in nonnullis sarcophagis et in aliis artis statuariae operibus interdum invenimus. Ectypon in Mus. Kircher. asservatum Romae, magorum adorationem nobis matrisque eiusmodi formam ostendit; puerum autem non prae se tendit mater, sed nudus in gremio cubans in laevam matris, dextra sua corpus eius amplectentis, reclinatur [3]). Secundum imaginem hoc opus magnopere cum repraesentationibus gentilibus antiquis cohaeret, ita ut ineunte saec. IV. factum videatur. Sarcophagus Carthagini asservatus, quamquam valde laesus, Mariam cum Christo infante in maiorem compositionem, detrimento autem ambiguam, receptam ostendit [4]). Maria paulum sinistrorsum sed adversa fere facie, in sella, scabello instructa, sedens, ad nonnullas figuras, a dextra parte appropinquantes se convertit. Christumque puerum, ab ipsa aversum ambabus manibus in gremio detinet. (V. saec.) Hanc formam quasi praecursoriam formae illius Byzantinae, plane adversa facie, considerare velim. Cuius exempla picturas murales in eccl. S. Mariae Ant. et SS. Felicis et Adaucti iam novimus (cf. p. 51). Quomodo forma illa evoluta sit hisce monumentis observare licet:

Reliquiarium asservatum in eccl. S. Nazarii, Mediolani [5]). Mater prorsus adversa facie efficta est magi philosophorum veste induti, puer nudus valde agilis expressus est. Opus, auctoritate Orientali vigente, exeunte IV. saec. ortum videtur. Evangeliarium de Etschmiadsin [6]). Magorum adorationem in infima tabula expressam silentio praeterimus, animum

[1]) cf. Wulff, Altchr. u. Byz. Kunst, p. 132 sq. [2]) cf. ceterum quem dedit conspectum Liell, in Mariadarstellungen, p. 224sqq. [3]) cf. Garucci, VI. 427. 6b. [4]) cf. Liell, l. l., fig. 56. [5]) cf. Wulff, l. l., fig. 200. [6]) ibid., fig. 185; Strzygowski, Byz. Denkm., I., 1895.

autem intendimus in repraesentatione Mariae cum Christo, omni maiore compositione soluta, adstantibus duobus modo angelis ministris. Maria plane adversa facie, passis genibus, cohibitis pedibus sedens expressa est. In genu dextro $^3/_4$ adversa facie, Christus puer, reclinans in laevam, dextra eius fultus sedet. Opus exeunte saec. V. ex auctoritate Syriaca ortum esse apparet. Fragmentum suggestus (ambo), Thessalonicae inventum, eodem tempore ex eadem auctoritate ortum [1]), in aedicula Mariam cum infante ostendit, plane formam Byzantinam secutum. Utraque figura adversa prorsus facie redditur; puer medio gremio, a matre aversus, erectus sedet, ambabus manibus sustentus. Maria ab adorantibus magis aedicula sua divisa, quodammodo per se sola constans videtur. Venerationis autem Mariae per se constantis haec compositio pro documento afferri non potest.

Coptica quoque ars huius formae exemplar nobis reliquit: in Museo Cairinensi eiusmodi ectypon e lapide calcario asservatur, Thebis repertum, saec. VI. ut videtur ortum [2]). In arte Byzantina identidem et fere sola haec forma nobis obvam fit. E. g. diptychon Rufiani, Berolini in Museo Fredericiano asservatum, hoc loco significo [3]).

Semper fere, ut supra commemoravimus, opera matrem cum infante exprimentia Mariam cum Christo reddere constat. In arte statuaria unum tantum monumentum mihi innotuit, quo mater mortalis cum infante suo exprimitur; sc. in ectypo in sarcophagi operculo, in Museo Germanici Campi Sancti Romae, asservato [4]). Ante parapetasma, a Cupidinibus sustentum, familiam videmus, maritum, uxorem, puellam, thoracis modo effictam. Mater proprio oris habitu (met individueele gezichtsuitdrukking) a sinistra expressa, ad dextram se convertit, $^3/_4$ adversa ad maritum facie, gremioque puellam ab ipsa aversam detinet, umerumque eius dextra sua amplectitur. Haec repraesentatio quod ad formam attinet maxime cum solita adversae faciei forma ex adoratione magorum congruit.

Colligamus et breviter quibus de rebus verba fecerimus commoneamus. Quinque praesertim formas repraesentationum matris cum infante describere possumus. Formam vetustissimam in coem. S. Priscillae invenimus: mater $^3/_4$ adversa spectatori facie, infantem brachiis ad se tenet. Altera forma prima invenitur in coem. SS. Petri et Marcellini: mater eodem modo expressa, infantem ab ipsa aversum ambabus manibus prae se tenet in gremio. Tertia videtur forma ex obliquo situ esse: mater ex obliquo situ reddita puerum aversum, ambabus manibus sustentum in gremio tenet. Nonnumquam infans incunabulis involutus con picitur. Quartam formam puto illam prorsus adversa facie redditam, cui in partibus praesertim Orientalibus imperii Romani mature occurrimus, quae deinde forma Byzantina perpetuabitur. Passim modo quintae formae, „Hodegetriae" quae dicitur, mentionem feci. Sequenti capite harum atque artis gentilis formarum necessitudinem atque cohaerentiam accuratius definire conabor.

Nunc autem quaerendum mihi videtur, quid Maria priorum saeculorum Christianis valuerit, quem sensum eius effigies iis praebuerit. Spinosa loca me ingredi bene scio neque quaquam in controversiam theologorum catholicorum et reformatorum evangelicorum, qui utrique opinionem suam theologico-dogmaticam Christianorum monumentorum testimonio fulcire volunt, inserere me velim. Qui cupidus controversiae huius, specie iniucundissima, cogno-

---

[1]) cf. Kraus, Chr. Kunst, I., fig. 189; Wulff, l. l., p. 135 sq. [2]) cf. Strzygowski, Koptische Kunst, fig. 161. [3]) cf. Beschr. der Bildwerke, e. q. s.: Die Elfenbeinwerke, tab. II., 2. [4]) cf. v. Sybel, Chr. Antike, II., fig. 13, p. 180 sq.

scendae, legat quaeso Introductionem atque ultima capita libri Lielli, Die Darstellungen Mariä, (Freiburg i. B. 1887). Quamvis utilis sit liber rerum congestarum copia, charactere suo polemico, personam magis quam rem aggrediente, propositaque voluntate certa comprobandi ea, quae multo magis fidei quam scientiae sunt, saporem a scientia alienum relinquit (cf. praesertim Introd. p. 15!). Mea opinione non porro progrediendum quam Lehner [1]) disputatione sua cauta progressus est, qui S. Scripturae textu nisus, hanc Mariae imaginem adumbravit: „Maria ist Jungfrau, Mutter des Messias, Josephs Weib. Sie ist gläubig und tugendhaft und genießt der Gnade Gottes. Sie wird selig gepriesen" [2]). Prioribus duobus saeculis his praesertim rebus Mariae informatio constitisse videtur. Iam evangelia apocrypha uberiorem Mariae speciem describunt [3]); paulatim nunc controversiae illae de immaculata conceptione aliisque rebus magis magisque surgunt [4]). Quaestio utrum Iesus Dei filius an Deus ipse sit ardenter inter patres ecclesiae disputatur; quomodo autem solvatur magni nimirum momenti est in definienda Mariae in ecclesia positione. Magis magisque Maria eminet, honorisque eius amplificatio eodem modo, quo Christus fit Deus, increscit. Qui cum Deus transcendens factus sit, Maria imprimis, deprecatricis, mediatricisque partibus functa est [5]). Accedit quod inde a medio saec. IV. studium virginitatis, cui nimium profecto tribuebatur, continenter augebatur. Quis autem magis exemplum venerandum esset quam virgo Maria [6]), quam virginem immaculatam fuisse ante partum, in partu, post partum populus si non e dogmate ecclesiae, attamen ut sententiam saepe enuntiatam credebat. Concilium Nicaeae habitum (325) homousian Patris et Filii constituit: concilium Ephesi habitum (431) conclusit tantum et confirmavit sanxitque praedicatum illud Mariae, „Theotocus", per IV. saec. magis magisque usitatum. Ita Mariae venerationem, ratione primitus SS. Martyrum venerationis simillimam, longe eam superare videmus atque profectam a patrum ecclesiae considerationibus de Theotoco nomine, proprium cursum perficere, quo tandem specialem atque fere per se constantem in ecclesia catholica honorem atque munus adepta est.

In difficilibus illis atque tortuosis contemplationibus diutius mihi versari non licet, hoc loco autem monere non praetermittam magnum illud atque acre de Maria certamen, quamvis toti ecclesiae patribusque aeque ex Occidentis partibus cordi esset, Orientis imprimis in partibus dimicatum esse; concilium de Maria Ephesi habitum esse, in prisca illa Astartae urbe, deae virginis gentilium, cuius templum quidem in Mariae ecclesiam commutatum videtur [7]) conciliique decretum incredibili animi permotione coram populo pronuntiatum esse; clarumque „Theotoci" propugnatorem Cyrillum illum, Alexandriae, priscae Isidis urbis episcopum fuisse. Verisimile igitur est initia Mariae venerationis per se constantis circa med. V. saec. quaerenda esse, quamquam primordia fortasse antiquiora sunt. Quid monumenta quae memoravi hac de re docent? In coemeteriis nulla exempla Mariae cum Christo compositionis per se constantis invenimus. Semper fere Maria in adorationis magorum compositionem recepta erat. Et Christum puerum, non Mariam, a magis adorari consideres; verba in Ev. Matthaei (II. 11—12) hac de re satis plana atque clara sunt. Cum in hisce compositionibus Mariae cum Christo forma inveniatur, nequaquam cum Mariae

[1]) cf. Die Marienverehrung, e. q. s., Stuttgart 1881. [2]) ibid., p. 7. [3]) cf. imprimis Protev. Jacobi. [4]) cf. Harnack, Dogmengesch., I., p. 152. [5]) cf. Renan, M. Aurèle, p. 144. [6]) cf. Lucius, Anf. d. Heiligenkults, p. 422 sqq. [7]) cf. Roesch, Astarte-Maria, Theol. Stud. und Krit., 1888, p. 282; Wood, Discoveries at Ephesos, p. 190 et 259.

veneratione peculiari cohaerere eam constat. Mariae praesentia primo loco textus verbis explicatur, deinde autem, propterea quod quasi necessaria est ad compositionem claudendam. Alius sensus proprius Mariae non attribuebatur. Hoc apparet ex opere musivo in eccl. S. Mariae Maioris (a. 435 p. Chr. n.)[1]), ubi Christus solus in solio sedens, magorum laudes recipit. Si in repraesentatione Mariae cum infante illa proprium locum teneret et speciali quadam veneratione coli soleret, talis repraesentatio, in qua Maria prorsus supprimitur, medio V. saec., eo ipso tempore, quo Mariae veneratio formaliter agnita atque affirmata esset, oriri non potuisset. Hoc loco liceat magnam illam differentiam, quae inter deas matres a gentilibus cultas et Mariam extat verbo statuere. Dum illae semper primas partes, ut ita dicam, agunt et ipsae praesertim coluntur, Maria filio cedit. Prioribus post Christum n. saeculis nonnisi „Thronus Dei" est et hunc, Christum, imprimis adorant Christiani, hunc praecipue repraesentationibus honorant. Ut concise iam praecipiam quod sequenti capite fusius tractabo: hic apparet, quare Mariae venerationem e cultu matrum dearum gentilium, imprimis Isidis, ortam esse ponere non liceat. Multa profecto munera a paganis deis recepit, sed tunc demum id facere potuit cum ipsius Christianae fidei evolutione locum maioris auctoritatis sibi peperisset. Tunc Mariam aliarum dearum auctoritatem expertam esse non nego. Quomodo autem id factum sit, accuratius exponere suo loco conabor. De mytho quoque magorum adorationis oriundo[2]) hoc loco uberius tractare non possum; de tota autem compositione, deque forma matris cum infante, proximo capite fusius agam.

Vetustissima Mariae cum infante repraesentatio in coem. S. Priscillae invenitur, ubi coram propheta Isaia (sive Bileam) conspicitur. Hanc quoque picturam re vera illustrativam esse mihi persuasum habeo. Haec pariter atque aliae repraesentationes picturae coemeteriorum decorativae partes ordinariae sunt locisque inveniuntur, quae per se Mariae venerationem parum probabilem reddunt. Mariae autem miraculosam historiam, quae ubi orta sit, ignoramus[3]), II. iam saec. sermonibus atque animis percelebratam esse insuper scimus[4]). Prophetam autem, si recte eum interpretati sumus ut Bileam, in duabus picturis coemeteriorum reperimus. Bileam ibi repraesentatur solus, sine Maria cum infante, dum stellam digito monstrat[5]), quod novo documento sit Mariae formam nullam propriam atque venerabilem vim habuisse.

Peculiarem dispositionem in alia pictura murali in coem. S. Priscillae[6]) invenimus, ubi Christi mater componitur cum velatione virginis Deo promissae (ex altera III. saec. parte). Hac imagine, ut opinor, mature iam expressum est quod evangeliis apocryphis, quod patrum ecclesiae scriptis vi atque semper crescente gravitate monetur: Mariam ante omnia Dei ancillam, in terris exemplum, deprecatricem autem ac patronam in coelo esse virginum Deo promissarum[7]). Ut exemplum imprimis hoc loco depicta est, exemplum virginis mundum relinquentis, se ipsa totam Deo promittentis. Hic fortasse peculiarem Mariae venerationem verecunde in lucem prodeuntem aspicere licet, quamquam longe abest ut iam vulgata sit.

In recensendis picturis eam, quae in coem. maiore (e medio IV. saec.) reperta est[8]), mortalis matris, in modum „orantis" effictae, effigiem me habere iam exposui. Hac de

---

[1]) cf. Wilpert, Mosaiken, t. 62—63. [2]) cf. A. Dieterich, Kl. Schriften, p. 272 sqq. [3]) cf. Harnack, Dogmengesch., I., p. 152. [4]) cf. Lucius, Anf. d. Heiligenk., p. 422 sqq. [5]) cf. Wilpert, Katakombenmal., t. 158, 2 et 165. [6]) ibid., t. 81. [7]) cf. Lucius, l. l., p. 431 sq. [8]) cf. Wilpert, l. l., t. 163, 1; 207—9.

re non pluribus verbis agam, praesertim quia incertum adhuc, utrum „orantes“ ut „adorantes“, i. e. ut mortui in Dei magnificentia defixi [1]), an ut „orantes“ proprio sensu, i. e. ut animae eorum qui in Deo mortui sunt, imprimis SS. Martyrum, precibusque apud Deum viventium deprecatores esse possint [2]). Etiamsi hac pictura repraesentatio Mariae ut „orantis“ (catholico sensu!) redderetur, haud quaquam revera peculiarem Matris Mariae cum Christo venerationem comprobaret: Mariam tantum ut unam e permultis „orantibus“ in coemeteriis depictis, considerare possim.

Quae veram Mariae cum Christo puero venerationem attestantur repraesentationes temporibus post concilium Ephesi habitum (431) modo occurrunt. Sixtus III papa (432—440) ut supra dixi, primus qui venerationem suam Matris Dei magnifico modo significavit fuisse videtur. Opus illud musivum, (nunc sublatum) in eccl. S. Mariae Maioris, Mariae coronationem reddens, documento sit. Quamquam suscipitur eundem formam quoque Mariae Reginae, quam in Eccl. S. Mariae Antiquae novimus (ex ineunte VI. saec.) [3]), creavisse, in partibus Occidentalibus VI. demum saec. eam tenemus. Nempe coram picturis muralibus, in eccl. S. Mariae Antiquae et in eccl. funeraria SS. Felicis et Adaucti repertis, non amplius dubitandum quin compositionem prorsus repraesentativam, solam per se constantem videamus.

In partibus Orientalibus repraesentationem Mariae cum Christo paulo priorem esse videmus, quasi concilii Ephesiaci decreta populus festinans opperiri non potuerit. Revera notabile hic primum nos formam illam Hodegetriae invenire (ineunte V. saec.) [4]), quae deinde in artis evolutione tantam vim vitalem comprobavit. In arte statuaria magorum adorationem repetitione perpetua in sarcophagis conspicimus, satis copiose pertractatam. In compositione per se constante Maria cum Christo puero primum in Evangeliario de Etschmiadin [5]) occurrit (V. saec.). Mariam videmus cum infante in solio sedentem inter duos angelos, dispositionis formam, quam in ampullis unguentariis de Monza e VI. vel VII. saec. reperimus [6]). Wulff [7]) eam cohaerere cum illa illustri, fabulosa autem adhuc, ut opinor, Mariae statua Bethlehemi putat. Quam ignoramus, ita ut Wulffi opinio ad tempus hypothesis loco tantum habenda videatur. E monumentis fortasse efficere possis in Syria quoque ante concilium Ephesiacum Mariae formam in usu fuisse, et summa cautione comprobare possis formam „Throni Dei“, ut monumenta nunc primum tractata nobis osstenderunt, ex auctoritate Syriaca gravi ortam esse. In arte Byzantina forma illa nobis ut maxime usitata atque longe lateque pervulgata occurrit.

Si breviter quibus de rebus verba fecerim colligo, monumentorum testimonia omnino fere cum iis, quae litteris eruenda erant congruere video. Ante V. saec. Mariae venerationem proprio sensu indicare nullo pacto possis [8]). A definitione Mariae naturae, concilio Ephesiaco constituta, veneratio eius profecta, deinde paulatim evoluta est.

---

[1]) cf. v. Sybel, Das Werden christl. Kunst, in Rep. f. Kunstw., 1916, p. 123. [2]) Communis de ea re catholica opinio. [3]) cf. Wilpert, Malereien, t. 133—134. [4]) cf. Bauer et Strzygowski, Alexandr. Weltchronik, frag. 8, C verso. [5]) cf. Wulff, l. l., fig. 185. [6]) cf. Garucci, VI. 434. 1. [7]) cf. l. l., p. 310. [8]) cf. quae Schultze, Arch. Studien über alt-chr. Monum., hac de re commonet.

VII.

Gentilium atque Christianarum matris cum infante repraesentationum inter se comparatio.

Initio praecedentis capitis de ratione inter gentilem et priscam christianam artem, imprimis quoad in coemeteriis conspicitur paulum audacter locutus sum (cf. p. 47). Haud abs re mihi videtur, quae sit vetustissima illa „Christiana“ ars, quid praesertim adiectivum illud „Christiana“ hoc contextu valeat, paulo accuratius examinare[1]). Primi theologi fuerunt qui in his monumentis versati sunt. Eodem modo, quo archaeologi antiquae artis, cultus ac vitae antiquorum cognitionem dilatare conati sunt, theologi e priscae artis Christianae monumentis indicia quaesiverunt, quibus doctrinam suam de fide Christiana augerent. Initio tantum, quae monumenta a Christianis artificibus confecta in usum Christianum versa sint, quid significaverint, quando orta sint, quid doceant ad intellegendam historiam volutionis fidei Christianae, cognoscere in animo habebant; itaque vocabulum „Christianae“ ad usum Christianum tantum, non ad valorem quendam internum aestheticum pertinebat. Iuxta autem eos, inter archaeologos Christianos erant qui artis historiae generalis ratione habita monumenta consideranda esse putarent. Nunc autem prima illa „Christianae“ artis notio atque nomen illud retinebantur. Christiana ars gentili opponebatur, utraque quodammodo orbem suum conficere putabatur. Eo modo fortasse iudicare possis, si argumentum consideres, sed historiae artis ratione habita, ubi formae magis contemplandae sunt, severa illa distinctio reicienda videtur. Utriusque artis enim artifices cum inter se in una regione atque societate viverent, historiae artis studiosus non potest quin eorum opera arctissimo quodam vinculo inter se cohaerere comprobet. Utraque opera sub specie evolutionis, quoad formalis est, consideranda sunt. Historia enim artis imprimis quomodo formis artifices cogitata sua expresserint enarrat. „Christianae“ autem artis historia, ut certa pars generalis historiae artis, nonnullis seriis conatibus exceptis, nondum conscripta est. Suo loco (cf. p. 52) iam significavi hoc ex ea re ortum esse, quod opera arte facta huius temporis, tam gentilia quam Christiana, nondum ita pertractata sunt, ut ea stilisticae evolutionis ratione habita complecti iam possint. Nihilominus quin examinetur, quomodo „gentilis“ ars atque „Christiana“ inter se cohaereant, nihil obstat. Hac in re autem quam maxime cavendum est ne fine excidas.

Quare primo loco quaerendum est, num ars Christiana non solum argumento, sed etiam fortasse formis suis, stilo ab arte gentili differat? Si artem „gentilem“ ut Graeco-

[1]) cf. Jordan, Gibt es eine alt-„christliche“ Kunst? (Stud. Hauck, Lipsiae 1916, p. 311 sqq.).

romanam vel Hellenistico-romanam, angustiore sensu, interpretaris, eam quaestionem affirmare tantum potes. Sin autem „gentilem“ eam intellegis artem, quae per totum imperium Romanum exercetur, eiusque geographicas atque ethnographicas varietates accipis et per saecula eam evolvisse perspicis, haudquaquam affirmandam esse quaestionem positam puto. Hoc modo in arte „gentili“ eadem elementa reperies, quae in arte „Christiana“ nova atque peculiaria esse videntur. Cum certae artis cursum validiorem fieri videmus, quibus causis id fiat profecto nobis inquirendum est. Et fieri potest ut inveniamus fidem Christianam magnas in ea evolutione partes egisse. Persuasum mihi habeo auctoriatem Syriacae artis, quam aetate imperatoria semper crescentem videmus, nexu quodam cum auctoritate Christianae fidei crescente cohaerere. Huius autem artis formae non „Christianae“, immo vero „Romanae“ sunt, si generalem illius vocabuli sensum accipis. Si post longum tempus huius artis cursus ad artem Byzantinam se evolvens, vincit, ne victoriam artis „Christianae“ id consideremus. Multo magis ars „gentilis“ eo progressa est, sicut historice Christianae religionis victoria consideranda est „paganae“ antiquitatis evolutionis ratione habita. Nec „Christiana“, nec „pagana“ ars ut unitatem se exhibet. Ea quae prima Romae novimus monumenta nihil commune cum Syriacae artis operibus habent. In considerandis monumentis hoc ne obliviscaris. Utrum sit differentia inter artem antiquam et „modernam“, ut ita dicam, (i. e. „Christianam“) [1]), hoc loco accuratius inquirere nequeo. Eo de quo agimus tempore tam parum inter se discrepant, tam subtilis est transitus et quod novum est tam cunctanter se manifestat ut eas differentias generaliter exponere non ausim. Oblata occasione in monumentorum comparatione huc redibo.

Repraesentationes Mariae cum Christo puero ad quinque formas redegi (cf. p. 54). Cum autem antiquissimae earum semper in compositionem quandam receptae sint, falso eas cum typis paganis matris cum infante compararem, nisi compositionis quoque, in quam receptae essent, rationem haberem. In consideranda autem prima forma hoc non opus est, cum singula eius specimina ut partes fere per se constantes compositionis videantur. Primo loco eam, quae in coem. S. Priscillae [2]) inventa est, Mariae repraesentationem affero, antiquissimam et optimam picturam muralem. Duplicitas quaedam in compositione inest: mater, paulum prona, infantem nudum ad se tenet, velut lactatura. Veste autem plane induta est et puer ipse ita respicit, ut spectator adesse videatur. Formam vere Hellenisticam ante oculos habemus, rupta tantum unitate: elementum repraesentativum additum est. Ante omnia cum hac repraesentatione conferatur pictura muralis, Romae inventa [3]), ubi Dionysus puer in terra Nysa redditur. Nympha, habitu satis congruens cum Maria matre, Baccho puero mammam praebet; is autem, gremio eius insidens, caput avertit. Eundem pueri habitum e. g. signa e t. c. in Mus. Acad. Artis Bonnensi (Winter, I. 148. 3) et in Mus. c. t. Louvre (ibid., I. 149. 3) exhibent. Conferatur quoque ectypon illud Arae Pacis, ubi infans Telluris in dextro brachio recubans, eodem schemate redditus est. Non dico cohaerentiam atque perpetuitatem esse inter haec antiquae artis opera atque picturam illam muralem in coem. S. Priscillae; ne pendere quidem hanc ex illis affirmare velim. Sed „gentilis“ atque „Christianae“ artis formas easdem esse hic et ubique demonstrare tantum volo.

---

[1]) cf. L. Curtius, Die ant. Kunst, I, p. 1 sqq. [2]) cf. Wilpert, Katakombenmal., t. 22. [3]) cf. Mon. d. Inst. 1885, t. XX.

Antiquissima in coem. S. Priscillae pictura imprimis in puerum oculos spectatorum convertit, eumque quodammodo principem locum tenere denotat. In altera eiusdem coem. pictura muralis, exeuntis III. saec.[1]), Maria magis eminet. Repraesentationem hic receptam esse in compositionem virginis velationem reddentem in mentem revoco. Infans proxime cohaerens cum illo in altera pictura expresso, spectatorem quendam non intuetur, sed placide recubat in Mariae brachiis. Illa autem parum ei intenta, cogitatione et oculis alio errat: compositionem a laeva aspicit, ubi nunc ipsum virgo velamine induitur ab episcopo, qui Mariam virginem intuetur, „quasi diceret: ‚Hanc imitare, filia!‘ [2])“. Maria ipsa caerulea tunica manicata angiclavia induta est[3]); opus rude neque arte neque expressione aesthetica excellet. Quod ad schema attinet, quo bipartita animi attentio redditur, conferas velim vas illud argenteum in Ant. Monacensi asservatum (cf. Baumeister, Denkmäler, I, p. 742, t. 14) quo eventus post Troiam captam expressi sunt. Mariae habitus comparari tantum potest cum signis e t. c. et statuis provincialibus. Modus quo superior corporis pars prorsus ad spectatorem versa est in aetatis imperatoriae sculptura post II. saec. minime ignotus est: e. g. in ectypis columnae M. Aurelii adhibetur. In pictura autem huiusmodi problemata hisce temporibus plerumque optime solvuntur.

Secunda forma qua mater redditur, dum $^3/_4$ adversa facie, puerum a se aversum ambabus manibus prae se in gremio tenet, semper fere (compositione in coem. Domitillae[4]) cum propheta tantum excepta) in adorationem magorum recepta est. Hoc idem pertinet ad formam ex obliquo situ redditam, quam tam in coemeteriis quam in sculptura decorativa, praesertim in sarcophagis continua fere repetitione repperimus. Infans hic quoque ex obliquo situ a matre aversus et ambabus eius manibus sustentatus in gremio sedet. Adorationis compositio hunc habitum quodammodo poscebat. Secundum Matthaeum magos unum tantum Christum infantem adorare iam supra memoravi. Cum picturae illae murales praesertim illustrativae sint, nil mirum est huius de Christo opinionis evangelicae rationem habitam esse in vestiendis coemeteriis picturis Christumque puerum repraesentative depictum esse. Vix manifestius fieri id potuit quam formis II et III, ubi Mariam fere ut „Dei Thronum“ acceptam esse videmus. Ordine nunc examinabo num ars gentilis compositiones noverit, cum adoratione magorum comparandas et repraesentationes matris cum infante creaverit, quae cum formis illis II et III, habitu atque expressione congruere videantur. Primam quaestionem, quippe quae longius ab argumento me removeret, fusius tractare non possum. Quomodo orta sit fabula magorum ex Oriente, siquis quaerat, ad Dieterichi inquisitionem iam laudatam (Ztsch. f. Neut. W. 1902; Kl. Schr. p. 272sqq.) eum revoco. De ipsa in arte repraesentatione fusius egerunt: H. Kehrer, Die Heiligen drei Könige, I/II, (1909); P. Bieńkowski, De prototypo quodam Romano adorationis magorum, (Eos, 1911, p. 45sqq.); P. Fornari, Della origine del tipo dei magi nell' antica arte cristiana (Boll. di Arch. Crist. 1911, p. 69sqq.); egregie de iis disquisitionibus disseruit, suamque de ea re exposuit opinionem L. v. Sybel, Die Magier aus Morgenland (Röm. Mitt. 1912, p. 311 sqq.).

Primo loco parvam inter Matthaei textum atque repraesentationes discrepantiam significare velim. Quamquam Matthaeus ipsis verbis nobis narrat magos genu posito

---

[1]) cf. Wilpert, l. l., t. 81. [2]) ibid. in textu, p. 208. [3]) Vestimenta Mariae in mentem revocant suffibulum illud, quod virgines Vestales gestant. [4]) cf. Wilpert, l. l., t. 83. 1 et p. 191, fig. 14.

Christum infantem adoravisse, per V. priora saecula semper stantes eos reddi videmus, dum dona ferentes accurrunt. Matthaeus autem eos procumbere et adorare dicit, deinde gazam aperire et dona offerre.

Bieńkowski cum magis illis accurrentibus et dona offerentibus ectypon in basi columnae, in villa Borghese asservata[1]), contulit, quo duo magi, peculiari illa, quam e Christianis monumentis novimus, veste Persica induti expressi sunt. Ectypon illud I. saec. adscribendum esse putat et a sculptore, memore itineris, quod magno agmine Tiridates rex per imperium Romanum fecit[2]), ut Romae Neronem consalutaret, ectypon illud confectum esse credit. Notatu est dignum Dieterichum e plane diversa parte profectum, hoc ipsum eventum materiam praebuisse magorum ex Anatolia fabulae comprobat. Re vera similitudo inter magos illos „gentiles" et „Christianos" tanta est, ut typologice inter se eos cohaerere putes necesse sit. Ulterius etiam L. v. Sybel progressus est: magos illos ut exempla directa considerandos esse non accipit, sed ectypi eburnei, quod vocatur Barberini (Parisiis in Mus. c. t. Louvre) ratione habita, compositionem archetypam recomposuit: Barbari victi scilicet Caesarem consalutant. Ut in ectypo laudato, barbaros utrimque appropinquare putat, dum media inter eos stat Victoria. Hanc autem compositionem prototypum magorum adorationis esse putat. Quae quidem hypothesis affirmari mihi videtur fragmento operculi sarcophagi, Vindobonae asservato (Kunsth. Mus., Ant.-Abt., Inv. 349), quod nondum in lucem editum est. Est lapis marmoreus (80/35·5 c. M.), in Musei indicem ut „festlicher Aufzug" relatus et ex Africa oriundus (fig. 13). Quamquam valde laesum est ectypon, compositionem satis clare reddit. A dextra, in angulo lapidis, magnum Solis caput, radiis ornatum apparet[3]), a laeva parte lapis fractus est, sed totam compositionem nihilominus in integrum restituere licet. Sedili, scabello instructo insidens, medium tenet locum figura plane ad spectatorem versa. Dextram sublevat, ita ut palma conspiciatur. Laeva autem tenet sphaeram, quae imperatorem eum esse indicat. Utrimque ei bini viri appropinquant, quorum proximi exomide induti sunt et calceati, dum postremi chlamyde induti, nudis pedibus, incedunt. Omnes manu ad spectatorem versa concham marinam, ut videtur, gestant, qua quidem barbari et rustici pro bucina[4]) utebantur, dum quisque altera manu equum, in ectypo parte posteriore apparentem, loris ducit. In capite alas gestare videntur, aut cornua fortasse tauri pellis, capite impositae[5]), quamvis ipsam tauri pellem agnoscere non possis. Caesaris consalutationem (Keizerhuldiging) a barbaris victis vel aliam eiusdem generis compositionem expressam esse puto et quidem in sarcophago IV. saec. propter stilum adscribendo. Hypothesis, quam v. Sybel concepit, hanc praesertim difficultatem attulit, quod schema adorationis magorem Christianum duo fere saecula ante illud gentile consalutationis expressum videmus. Haec autem difficultas nostro ectypo sublata mihi videtur. Antiquissimae adorationis magorum repraesentationes (et notatu dignum hic magos utrimque Mariae appropinquare!) exeunti III. vel ineunti IV. adscribendae videntur. Et quamquam in adscribendo Wilpert semper secutus sum, minime mihi constare videtur picturas illas re vera illo, quo putat Wilpert, tempore ortas esse. Evolutionis artis ratione habita, aetate multo

---

[1]) cf. Röm. Mitt. 1912, p. 313. [2]) cf. Dio Cass. 63, 1—7; Suet. Nero, 13; Plin. N. H. 30. 16. [3]) cf. v. Sybel, Chr. Antike, II., t. 16. 43. [4]) cf. Daremberg et Saglio, s. v. bucina. [5]) quod v. Sybel suspicatur qui opinionem suam de hoc ectypo liberaliter mecum communicavit.

inferiores eas esse suspicor, sed antequam ipsa monumenta conspexero a propria opinione abstinebo. Quidquid id est, Caesaris consalutationem et magorum adorationem eodem fere tempore ambas conspectas esse nunc iam statuere licet. Et per se intellegitur ab hac illam non pependisse, sed Caesaris consalutationem aevo imperatorio constans schema fuisse, ante id, de quo agimus tempus usitatum. Utrum typus ille, ut nonnulli volunt, Syro-palaestinensem aut certe Orientalem originem habeat necne, dum alia et manifesta monumenta non innotuerint dici non potest. Nec necesse est schema illud a Tiridatis per imperium Romanum itinere originem duxisse. Multo magis hoc eventum compositione iam diu nota expressum esse videtur. Negari igitur non potest compositionem huius formae, i. e. magis in schema receptis, gravem auctoritatem exercuisse in Christianam magorum adorationis compositionem.

Antiquissimae magorum adorationis repraesentationes in coemeteriis hoc affirmant. Quod stantes semper magi redditi sunt, ex gentilis repraesentationis auctoritate explicandum mihi videtur. In coem. SS. Petri et Marcellini [1]) utrimque magum Mariae matri appropinquare videmus. In coem. S. Domitillae [2]) bini ei utrimque appropinquant. In ea compositione difficultas autem quaedam oritur. Maria, itemque Christus puer paulum ad laevam se vertunt, itaque dorsum quodammodo monstrant magis a dextra accedentibus. Posterioris aetatis artifices hanc sustulerunt difficultatem, cum alteram compositionis partem supprimerent, alteram autem, quam servaverunt, ad tres magos extenderent. Maria cum infante paulo magis ad magos accedentes circumvertebatur (cf. e. g. Wilpert, t. 212, 231, 239) aut prorsus ex obliquo situ conspiciebatur. Hoc modo eam novimus in coemeteriis et praesertim in sarcophagis. Nunc dextram nunc laevam magorum pompae partem suppresserunt artifices (cf. Wilpert, t. 239, 231).

Formae II et III, quodammodo IV quoque, qua Maria plane adversa facie redditur, natura unum tantum typum efficiunt, repraesentativum scilicet, ad usum immutatum. Illum dico typum, qui spectatorem supponit atque poscit, sive in totius compositione, ut in adoratione magorum, sive per se constans: colentem spectatorem tunc poscit. Iam prisca antiquitate eum novimus, et suo loco (cf. p. 7 et p. 12) fusius de eo egi. Hic satis erit nonnulla enumerare signa e t. c., quae typi repraesentativi evolutionem e forma archaica hieratica ad formam Hellenisticam humaniorem elucidare possint: asservantur Hannoverae in Mus. Kestner (Winter, I. 139. 1; fig. 5), Parisiis in mus. c. t. Louvre (Winter, I. 142. 6), Athenis in Polyt. (Winter, I. 139. 3), Parisiis (Louvre; Winter, 1. 141. 2), Panormi (Winter, I. 146. 8), in coll. Calvert (Dardanellen; Winter, I. 142. 4), Athenis in Polyt. (Winter, I. 142. 3), Tergestae (Mus. civ.; Winter, I. 146. 7), Berolini in Antiq. (Winter, I. 141. 4). Notes velim omnes hos typos in aevo quoque Christiano inveniri, ne maxime archaicis quidem exceptis. Conferatur e. g. fragmentum ectypi, quod in pago Pettau inventum est (cf. Gurlitt, Pettauer Ant.; Arch. Ep. Mitt. a. Oesterr. 1896, p. 1 sqq.) et III. p. Chr. n. saec. typum repraesentativum nobis exhibet, quamvis rustice atque provincialiter arte expressum.

Pauca dumtaxat hisce adiungere velim. Raro ars proprio sensu statuaria nobis repraesentationes formae Mariae cum infante similes praebet. Immo vero, continuo confugiendum est ad sigilla e t. c., artis industriae opera vilis pretii, unicuique com-

[1]) cf. Wilpert, Katakombenmal., t. 60. [2]) cf. ibid., t. 116. 1.

paranda, quae cuiusvis in possessione fuisse ponere licet. Nec vulgo sunt inter ea meliora specimina, quae quamvis parva sunt, tamen nova semper magnae artis problemata non minus clare repercutiunt quam grandia sculpturae opera, sed primo loco typi vulgares matris antiqui, opera, quae non tam pulchritudine quam argumento aestimabantur. Est prisca illa archaica forma, verisimiliter cum religiosis cogitationibus cohaerens, quam semper reperimus, quam simplicissime atque quam vilissimo pretio arte expressam: documento nobis est haec atque talia destinata fuisse humili loco natis, qui magna expensa erogare non poterant. Inter eos autem multum adhuc priscae illius primitivae religionis vivebat, quod diu publico cultu repressum, posterioribus a Chr. n. saeculis paulatim solvebatur, in lucem prodibat, tandem quidem Christiana religione dominabatur [1]). Hac re explicandum fortasse est tam matres cum infantibus a Christianis artificibus mature iam expressas esse, dum ars vere statuaria pauca tantum exempla exhibet, quam formas illas Christianas tam arcte cum archaico typo hieratico cohaerere. Profecto Christianarum repraesentationum Mariae cum Christo puero certum „exemplar gentile" quaeramus non oportet. Opera ut e. g. Reliquiarium illud in eccl. S. Nazarii, Mediolani (IV. saec.) [2]), salvis indiciis externis velut vestimentis philosophorum, quae magi gestant, tam clare characterem Hellenisticum indicant, ut certum exemplum quaerere stultum fere videatur. Non solum cum tota gentilium operum serie cohaeret, sed etiam pars eius est. Eo tantum modo, quo v. Sybel notionem suam „Christliche Antike" concepit, difficultatem illam tollere licet, et quomodo revera res se habeant exponi potest [3]). Neque Schlossero assentieris, cum typum Dei Matris, quem novimus in Evangeliario de Etschmiadin [4]) cum nummo Faustae, Constantini Magni uxoris (cf. Kenner, Röm. Med.; Jhrb. Kunsth. Sml. Wien, IX, t. IV. 270) cohaerere contendat. Accedit quod re vera hoc opus cum illo parum tantum congruit. Evangeliarium enim nobis clare exhibet typum repraesentativum, dum in nummo Fausta infantem ex obliquo situ visum, in gremio tenet, cum corporis habitus plane liber atque mobilis est. Profecto non dicam fieri non posse ut imagines nummis impressae in alias repraesentationes, fortasse et Christianas, vim suam exercuerint. Immo vero, verisimile id puto, nam nullum opus artis tam universe et uniforme pervulgatum est, quam nummus, nulla profecto hieroglyphica nota tam facile in memoria haeret. Sed nummi illi non seorsum considerandi sunt, sed ut generalem quandam traditionem continuantes. Hoc modo, ut opinor, repraesentationes Isidis cum Horo infante considerandae sunt, quas toties dixerunt vim gravem exercuisse in Mariae cum Christo repraesentationem [5]). Ad tempus excipiamus similitudinem cultus, quae sine dubio inter Mariae et Isidis venerationem extitit et in monumentis tantum nos contineamus. Repraesentationis Aegyptiacae Isidis nulla ratio habenda videtur. Hoc primum indico Isidem semper lactantem effictam esse, dum iis, de quibus nunc agimus temporibus Mariam prorsus numquam lactantem repraesentatam esse scimus. Inter repraesentationes Isidis cum Horo, sicut ars Aegyptiaca eas expressit, et Mariae cum Christo nihil commune

[1]) cf. A. Dieterich, Unterg. d. ant. Relig. (Kl. Schr., p. 272 sqq.) [2]) cf. Wulff, l. l., fig. 200. [3]) cf. v. Sybel, Rep. f. Kunstw. 1916, p. 118 sqq. et Röm. Mitt. 1912, p. 319 sq. [4]) cf. Beil. z. Allg. Ztg. 248, p. 6 sq. et 249, p. 4. [5]) cf. Pauly-Wissowa, R. E. s. v. Isis, p. 2125; Piehl, Sphinx III (1899), p. 172; Petrie, Rel. of anc. Egypt, p. 44; Erman, Aeg. Rel., p. 245 sq.; Lomnitz, Solidarität d. Mad.- u. Astartekults, p. 73, quasi summam fixam religionis historiae idem statuit; Ad. Schreiber, Mutterschaft, p. 716, München 1912.

esse invenimus (cf. ea, quae enumeravi signa Isidis, p. 30), nisi forte utraque feminam cum infante reddant. Nihilominus Wulff[1]) Mariae cum Christo repraesentationem, eamque in coem. Priscillae, Romae, inventam laudat, componit cum repraesentatione Isidis cum Horo puero, „die sich in Alexandria dem Blicke der christlichen Maler aufdrängen mußte." Quid sibi velint „Christiani" illi pictores nescio, sed ceterum quoque illa inter Alexandriam atque Romam cohaerentia satis quaesita mihi videtur. Quod ad formam Isidis cum Horo Hellenisticam attinet, ne haec quidem cum repraesentatione Mariae cum Christo cohaerere video: monumenta huc pertinentia iam alibi composui (cf. p. 30) eaque facile cum Mariae repraesentationibus conferri possunt. Ea quae existit affinitas generalis quaedam est, quam eandem cum omnibus eiusmodi operibus Hellenisticis esse statuere licet. Quod satis manifestum est, quoniam forma Isidis cum Horo, per se rara, nulla re, nisi attributis ab aliis Hellenisticis matris cum infante repraesentationibus distinguitur. Attributa autem, sicut ea novimus in arte gentili, Maria ad tempus non gerit.

Forma V, Hodegetriae scilicet, non fusius tractanda videtur, quippe quae stantem Mariam reddens in propositum nostrum non cadat. Catalogum typorum, quem Winter composuit, inspicientes, abunde exempla reperiemus (cf. I. 143—5; 150—53). Hunc typum iam antea quoque occurrisse stele funeraria, in oppido Kertsch inventa[2]), demonstrat. Facere non possum quin mirum quoddam exemplum auctoritatis Graecae in artem Aegyptiacam indicem. Isis stans, infantem in brachio tenens, in arte Aegyptiaca mihi non occurrit. Hellenistica aetate hunc typum prodire videmus[3]). Isis incedentis schema reddens, Horum infantem in laevo brachio portans apparet, dum dextra levata sistrum tenet. Auctoritatem Graecam hic videmus, dum forma Graeca Hellenistico tempore in artem Aegyptiacam translata videtur. Denuo documentum hic habemus artem Aegyptiacam prioribus a. Chr. n. saeculis infirmiorem Hellenistica fuisse et potius auctoritatem eius recepisse, quam suam exercuisse. Quae quidem relatio prioribus nostri aevi saeculis inter propriam artem Aegyptiacam atque Hellenisticam fuerit, monumentorum quae pertractavi ratione habita vix accuratius describere possum. Ne opiniones quidem aliorum recensere, quippe quae valde inter se dissimiles sint, atque ut in quaestione de arte Syriaca atque Orientali minime congruant, hoc loco conabor. Neque quas partes egerit Orientis ars non Graeca, imprimis Persarum, in evolutione artis antiquae posterioris aetatis, fusius tractare possum. Monumenta nostra ex iconographica praesertim ratione collecta non sinunt nos statuere num stilus Byzantinus ex his imprimis cursibus novis ortus sit. Constat autem saeculis posterioribus gravem Orientis auctoritatem in imperio Romano valuisse, quae, quamquam in arte adhuc non semper manifesta videtur, triumpho religionum orientalium, imprimis ipsius Christianae religionis, luculentissime se manifestavit. Nec subito stilum mutari videmus. Paulatim mutationem eam praeparari tam in gentilibus quam in Christianis monumentis persequi possumus. Cuius rei ratione habita difficile dictu est ubi et quomodo Byzantinus ille typus elatus, repraesentativus ortus sit, quem novimus in eccl. S. Mariae antiquae (cf. Wilpert, Maler., t. 133—4). Una tantum re peculiarem, quamvis non directam auctoritatem Orientalem significabo: Mariae vestimentum dico. Imperatricis veste induta est et Byzantinae aulae apparatum natura Orientalem esse scimus. Angeli quoque, qui ministri ad thronum Mariae

[1]) cf. l. l., p. 72. [2]) cf. Compte-Rendu, Comm. imp. Archéol. 1882, 8, p. 19 sq. [3]) cf. Weber, Aeg.-gr. Terrak., II., p. 36.

adstant, satellites imperatorum Byzantinorum in mentem revocant. Sed apparatum iam ante primum imperatorem Christianum, Constantinum Magnum, in Orientis modum mutatum esse consideremus oportet. Iam Diocletianus totam vitam aulicam in Orientalem formam redegit. Hic quoque liquet nos artis Christianae indicia Orientalia ut cohaerentia cum artis generalis Hellenistico-romanae evolutione considerare debere.

In capite praecedente de significatione Mariae, quod ad sensum dogmaticum attinet paucis verbis locutus sum (cf. p.54). Iam vidimus eam primum Dei filii matrem, ut talem atque in Deo mortuam inter sanctos atque martyres, quamvis praecipuo loco, receptam esse, deprecatricisque partes pro viventibus apud Deum et Filium suum agere potuisse. Cum in Concilio Nicaeae habito (325) Patris et Filii homousia agnita esset, ex ea re necessario sequebatur Mariam nunc matrem Dei, Theotocum appellari (in conc. Ephes. 431) et honor eius atque auctoritas crescebant: coronabatur regina coeli et iuxta Filium divinum locum obtinebat. Per se intellegitur venerationem eius hac re magis etiam crescere debuisse. Fit magis etiam quam sancti, quorum quidem partes per saecula quoque graviores fiebant, mediatrix. Christus, Dei filius a terra magis recedit, non amplius inter hominem et Deum mediator fuit, sed ipse Deus factus est. Maria quodammodo ei succedit. Veneratio eius una cum crescente auctoritate increscit, quin etiam quodammodo per se colitur, sicut idem ipsum in sanctorum veneratione perspicere licet. Quamquam dogmatico sensu haec veneratio ita consideranda est, ut auxilii invocatio via tantum sit, qua perveniatur ad Deum transcendentem, in usu cotidiano preces illas longam viam perfecisse non puto et cogitatione ad Mariam vel Sanctos tantum pervenisse credo. Humilibus, quibus vita multa negabat preces illae ratio tantum erat, qua supra cotidiana efferrentur, qua novas vires sumerent, qua auxilium peterent in ardua saepe vitae via.

Consideremus Mariae venerationem praecipue crescere eo tempore, (IV. saec.) quo transitum ad Christianam religionem frequentiorem fuisse quam antea scimus. In mentem revoco edicta illa de tolerantia, quae a. 311 partibus Occidentalibus, a. 313 Orientalibus dabantur. Eo tempore mox Christianum esse utilius atque commodius fuit, quam paganum. A. 382, Gratianus edicto suo gentili religioni eiusque ministris subsidium publicum ademit; a. 392 Theodosius plane eam prohibuit. Nonne in promptu est, quaerere num Christianae religionis incrementum fortasse cum nova hac condicione cohaereat? Antequam Christiana atque antiqua religio pares erant, aut saltem ante sacra prohibita accipere licet Christianam ecclesiam e hominibus, qui ab origine atque ex animo Christiani essent, constitisse. Sed postea multos in ecclesiam receptos esse puto, nullo animi iudicio cogente, multos quoque qui facilitate, quam polytheisticus cultus secum fert, religionem Christianam non ut novum quid antiquis contrarium, sed aliud tantum accipiebant. Quamquam aetate imperatoria religio magis magisque ad henotheismum vergebat, numquam tamen alias opiniones excludebat. Quid mirum multitudinem illam, qua subito fere acies Christiana augetur in religione Christiana, ea quaerere, quibus satisfacerent desiderio suo auxilii divini. Nam hoc auxilio egebat et vere religiosus vivebat populus — in mundo quoque pagano. Cum certi semper auctores tantum legerentur, neque satis ratio habita esset aliorum fontium, ut e. g. inscriptionum, imago quaedam aetatis imperatoriae orta est — nunc quoque imperitis cara — quae cum certis, principibus populi Romani partibus tantum, urbanis praesertim, congruere videtur. „Populi“ autem, humilium multitudinis litterae mentionem

nullam faciunt. Is tantum apud auctores Christianos prodit. Nunc autem inscriptionibus, papyris inventis docti, alia mente eosdem libros legimus et hic quoque videmus populum non tam „perditum" fuisse ut credidimus. Vitam suam vivebat, laborabat — et orabat [1]).

Religio Christiana non orta est in mundo irreligioso — oriri ibi non potuit. Sed quaeri potest, num religio ut ita dicam antiqua, (melius fortasse humanam dicas!) cum doctrina Christiana, doctrina illa Evangeliorum simplici congruere possit. Et satis vis vitalis ei inerat, satis varia et multiplex erat, ut cum elementis nonnullis antiquae fidei coalescere posset. Nempe habebat Mariae et Sanctorum venerationem, dogmatis ortam, quae huc evolvi potuit. Theologis altercari licet, num fortasse in recipiendis elementis sine dubio paganis, ecclesia liberalius se praestiterit, quam ei conduceret et primigenam Christi doctrinam hac re turbaverit, sed nescio an, si quis sic putaret, doctrinae Christianae facultatem evolutionis denegaret. Hoc autem nostrum non est.

Anquirendum tantum est, num huius accommodationis vestigia in Mariae veneratione indicare liceat. De accommodatione loquor, non de mutuatione. Nequaquam materia, quam hoc loco afferam, uti velim ut ex ea theologicas deducam conclusiones, nec problema illud exhaurire in animo habeo. Exempli gratia venerationes Isidis et Mariae inter se conferam. Conspicua inter eas similitudo, tam quod ad formam, quam quod ad sensum venerationis attinet, multos induxit ut rationem arctiorem quam ut natura quadam congrua explicaretur, inter eas acciperent. Notionibus ex altera ad alteram venerationem transferendis, hoc exprimere voluerunt et de Isidis „vespero" locuti sunt, illam quidem „Madonnam" vel „Matrem dolorosam" vocaverunt. Haec autem methodus, quantavis cogitata suggerens, periculosa mihi videtur [2]). Similitudine externa sive interna, mutuatio concluditur, cum revera cognatio illa saepe tantum ex communi basi explicanda videatur [3]). Non solum Isidem sed etiam alias deas, Astarten, Aphroditen, Cybelen, Demetera, Iunonem, Freyjam quidem et alias cum Maria cohaerere suspicati sunt varii auctores. Ne longius aberrem in Isidis veneratione me continebo, quippe quae aetate imperatoria maximi momenti fuerit et eodem modo, quo Mariae veneratio per totum orbem terrarum pervulgata sit. Hoc quoque commune habent, quod neutrius natura clare delineata est, quod generales adiutrices ambae, laboribus omnibus atque desideriis animae humanae benevolas aures praebere potuerunt. Quae quidem facultas Mariae magis fere propria erat quam Isidis.

---

[1]) cf. Deissmann, Licht v. Osten, p. 204 sqq.; Schultze, Unterg. d. gr.-röm. Heident., p. 342 sq.; Renan, M. Aurèle, p. 144. [2]) cf. Cumont, Rel. Orient. e. q. s. in praef., p. XIII sq. [3]) Hoc contextu opera tantum significabo ut: Mussard, Conformités des cérémon. mod. av. les anc.; e. q. s. Leydae, 1667; Trede, Paganism in the Roman Church (quo opere in German. converso usus sum); Renand, Christianisme et Paganisme, Bruxellis 1861; opera quidem ampliorem auctoris conspectum profitentia, ut Renan, Origines du Christianisme; Réville, Die Religion in Rom unter den Severern; Reitzenstein, Zwei religionsgesch. Fragen; Petrie, Religion of anc. Egypt; Schneider, Kultur u. Denken d. alten Aeg.; Reichel, Dissert. de Isidis apud Romanos cultu; Lomnitz, Solidarität d. Madonna- u. Astartekultes; Conyers Middleton, Misc. Works V, p. 1 sqq., e. a. plus minusve Mariae venerationem directe aliarum auctoritatem expertam esse putant, idque annominatione illa significant. Totum revera difficile atque implicatum problema syncretisticum amplectuntur opera ut: Harnack, Ausbr. d. Christentums; Deissmann, Licht vom Osten; Schultze, Untergang des gr.-röm. Heidentums; Benrath, Zur Gesch. d. Marienverehrung (Theol. St. u. Krit. 1886); Rösch, Astarte-Maria (ibid., 1888); eodem modo sed parum leviter fortasse idem thema tractavit R. de Gourmont, Le paganisme éternel (in libro suo c. t. La culture des idées).

Apparatum igitur templorum atque ecclesiarum, aris atque statuis instructarum simillimum esse videmus. Eodem modo quo Mariae interdum statuae eriguntur, ita ut eae tantum corporis partes, quae visibiles sunt informentur, dum vestimenta informem quandam ligneam structuram tegunt, Isidis quoque simulacrum in Iseo Pompeiis instructum esse videtur [1]). Isidis sacerdotes tonsi Mariae pontifices, tonsura praeditos, in mentem revocant [2]). Isidis venerationis pompa sollemnis, florum atque turis sacrificia, in Mariae veneratione reperimus. Precibus eadem petuntur [3]), litaniae utriusque simillimae sunt. Peregrinationes sacras et processiones uterque cultus novit, agmenque iocosum ac petulans Carrus navalis in festo illo quem „Carneval" vocamus fortasse continuatur [4]). Fabula quidem Isidis fortasse similitudinem quandam cum illa Mariae praebet. Plurimas de Maria fabulas ut populus eas novit, ductas esse ex evangeliis apocryphis consideres velim, quae quidem quodammodo ex mythologia Alexandrina de Iside et Osiride pendere possint.

In Isidis veneratione me continere volo sed facere non possum quin unam tantum rem seorsum indicem: templa dico in ecclesias mutata et ecclesias in loco antiquorum templorum exstructas. Vulgo traditionis documentum id habetur, cum ecclesiae Christianae templum paganum locum cedere putetur: Maria ei, quae eam praecessit Deae subiit [5]). Non fortuito multas ecclesias in loco templorum gentilium aedificatas esse persuasum mihi habeo sed traditionis documentum non videtur esse. Multo magis Ecclesia triumphans de gentibus eas exstruxit quasi symbolice victoriam suam profitens. Plerumque quando ecclesia pro templo substituta sit, statuere non potui. Eo magis notatu dignus est casus, ubi certiores sumus facti. Ecclesia S. Mariae Aegyptiacae nostris quoque diebus in antiquo Fortunae Virilis templo locata est. Scimus autem IX. demum saec. aedem illam in ecclesiam mutatam esse [6]). Tunc temporis nulla Dea Fortuna Virilis erat: domus eius conclave fuit, quo utebantur, sicut sumptuosum Agrippae Thermarum principale atrium in usum ecclesiae architecti verterunt. Alibi quoque saepe id factum esse suspicor.

Historia Christianae doctrinae dogmatica iniquam atque mancam nobis praebet notionem vitae religiosae per quinque priora p. Chr. n. saecula. Continua concilia, polemici libelli, animosi apologetae, implacabilis atque per se constantis Christianitatis imaginem nobis relinquunt. Sed neque ars Christiana secernere se potuit a sui temporis evolutione artis, neque doctrina Christiana per se constare atque varias opiniones negare tantum potuit. Cotidianus usus atque necessitudo non tam implacabilis erat quam doctrina fortasse poscebat. Non frustra Ecclesia a Civitate politicam artem didicit!

Quid tandem sibi volunt hae analogiae, quid nos docent? Quid significat, si sanctorum etiam in fabulis mythologia interlucet, gentiliumque dei reviviscere videntur. Nonne hoc: animam hominis semper eandem remanere, labores eius atque desideria semper

---

[1]) cf. Lafaye, Hist. du Culte des Divin. d'Alexandrie, p. 187 sq. [2]) cf. Trede, l. l., I, p. 17; Otto, Priester und Tempel, e. q. s. II, p. 256, 3; Zimmermann, Die Äg. Religion und die Kirchenväter, p. 154 sqq; Mussard, Conformités e. q. s. Levitas quoque tonsa capita habuisse commonet, p. 160. [3]) cf. e. g. CIG. 4724 et Cyrillus, Encomium . . . in conc. Ephes. 4. [4]) cf. Dieterich, Unterg. d. ant. Relig. (Kl. Schriften, p. 465). [5]) cf. Mussard, l. l., p. 165 sq.; Conyers Middleton, Misc. Works V, p. 117 sqq. [6]) cf. J. v. Schlosser, Beil. z. Allg. Ztg. 248, p. 3.

eadem esse? Doctrina Christiana prorsus discrepat a pagana vitae ratione. Animus autem religiosus Christianis atque gentilibus idem fuit, seque manifestavit eo modo, qui omnium hominum communis est, sive sancte, grato animo veneratur quis illud semper ignotum, Deum, sive vanitatis suae conscius religiose misericordiam atque auxilium deprecatur. Sic Augustini, ingenii humani intime periti, verba, quibus breviter, sed alte atque subtiliter hoc idem expressisse videtur, accipiamus, ubi dicit (Retract. I. 13):

> Nam res ipsa quae nunc christiana religio nuncupatur erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari christiana.

Theses.

I.

De oudste voorstellingen van Maria met het kind Christus hangen samen met het algemeen-antieke type der moeder met kind en vertoonen niet, zooals in de litteratuur dikwijls aangenomen wordt (vgl. o. a. Pauly-Wissowa, R. E. s. v. Isis, p. 2125; en als voorbeeld, hoezeer deze meening reeds ingang heeft gevonden in de populaire litteratuur, A. Schreiber, Mutterschaft, München 1912, p. 716), een bijzondere overeenkomst met de voorstellingen van Isis met Horus.

II.

De voorstelling van de aanbidding van het Christuskind door de magiërs uit het Oosten heeft tot prototype een voorstelling uit den vroegen Keizertijd van een keizerhuldiging door overwonnen barbaren.

III.

De oostersche kleeding der magiërs in de oudste voorstellingen der aanbidding van het kind Christus wijst er op, dat de christelijke kunstenaars gestreefd hebben naar het weergeven van „couleur locale" (vgl. de tegenovergestelde meening by Leclercq, Manuel d'Archéologie chrétienne, II, p. 173 sqq.).

IV.

Het ambt van ἄρχων in den Boeotischen en Thessalischen bond, in de 4e en 3e eeuw v. Chr. draagt een zuiver representatief karakter en moet beschouwd worden als een overblijfsel van den oligarchischen regeeringsvorm.

V.

Aesch. Prometh. 153, lectio codd. mss.: εἰς ἀπέραντον Τάρταρον, contra Wilamowitz, qui legit ἀπέρατον, textui vindicanda est.

VI.

Plutarch de superstit., VII., p. 168, E.; codices: πράῳ δεισιδαιμονίᾳ; legendum esse puto: πράως.

VII.

Aelius Aristides rhetor non anno 129 p. Chr. n. (cf. Christ, Gesch. d. gr. Literatur, II. 2. 1913, p. 538), sed potius anno 120 p. Chr. n. natus esse videtur.

VIII.

Contra L u n d s t r ö m, Ciceros öfversättning af Xenophons Oikonomikos, Eranos, XII (1912), p. 6, qui Xenoph. Oec., 20. 4 inter verba: οὐδὲ ἔλαιον οὐδὲ σῦκα. et ἔχει ἀνήρ vocabula οὐδὲ μῆλα intercidisse coniecit (cf. Macrob. Sat., III. 20. 4), textus codicum mss. vindicandus videtur.

IX.

Iure Th. E b e r t, Zur Frage nach der Beendigung des Herodoteischen Geschichtswerkes, e. q. s. (Diss., Berol. 1911), Ἀσσυρίοις λόγοις, ab Herodoto annuntiatis, non perfectis, locum post praesentem Historiae operis finem assignat, eoque opinionem Herodoti opus imperfectum esse valde confirmavit.

X.

Vocabulum τερμιόεις (e. g. Hom., Il. XVI. 803; Od. XIX. 242) non ut solet interpretari: „longus, usque ad pedes pertinens, „ποδήρης“, sed „ora instructus“ significare videtur, tam linguae scientiae, quam artis monumentorum ratione habita.

XI.

Tacit., Annales, II. 52: spe victoria inducti sunt ut vincerentur. Emendandum est: *vincerent.*

XII.

Tacit., Annales. XII. 65 i. f. legatur cum ll. mss.: Haec atque talia dictitans (Narcissus) amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos, modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret matris etiam interfectores ulcisceretur.

Verbum *adolesceret* textui vindicandum est (cf. H a r t m a n, Anal. Tacitea, p. 223).

XIII.

Tacit., Hist., I. 1.: uberiorem . . . materiam.

Vocabulum *uberiorem* non intellegatur, ut R i t t e r (ed. London 1848) et B r o t i e r (ed. Paris 1771) volunt de temporibus, de quibus plures atque meliores fontes extant, ita ut rerum scriptor facilius verum tradere possit, sed potius de temporibus magnis rebus gestis abundantibus.

XIV.

C. Val. Flacci, Argon., l. V., v. 6 sq., verba: caelata . . . velamina, non ut acu picta intellegenda sunt (cf. P. L a n g e n, C. Val. Flacci, S. B. Argon, ll. VIII.; Berliner Studien f. kl. Philologie, 1896) sed ut „aurata, sigillata“, i. e. bracteis insutis ornata.

XV.

C. Val. Flacci, Argon., l. V., v. 269: verba: *ipsum qui*, cum S u d h a u s emendanda videntur in: ipsumque ut.

XVI.

Charisius, I., p. 106 sq. K e i l (frg. 12): alvaria neutro genere pluraliter tantum dicuntur . . . quamvis Cicero in Oeconomico singulariter dixerit: „apes in alvarium concesserant“.

Corrigendum est cum Victorio: congesserant.

XVII.

Ten onrechte meent Lange (Dürers Meerwunder, Ztschr. f. bild. Kunst, XI, 1900, p. 195 sqq.), dat Dürers „Meerwunder“ niet in verband moet worden gebracht met het Amymone-verhaal bij Lucianus (Dial. mar. 6), maar moet worden beschouwd in verband met Dürers afbeeldingen van andere „wonderen“, zooals het varken met de zes pooten, de vergroeide tweelingen, de neushoorn enz., en als zoodanig gelden moet. Naar mijn meening is de tekst van Lucianus aanleiding geweest voor de compositie, terwijl voor de voornaamste groep invloed van antieke monumenten zeer waarschijnlijk is.

XVIII.

Het zg. portret van Maximinus Thrax in het Antiquarium te München (vgl. Furtwängler, Münch. Jahrb. 1907, p. 8 sqq.) behoort in lateren tijd thuis en is veeleer een portret van Constantius Chlorus (vgl. Sieveking, ibid., XI, 1919, p. 44 sqq.).

XIX.

Het is wenschelijk, dat een analytisch-stilistisch vormonderzoek eener litteratuurperiode (vgl. b. v. de onderzoekingen van Zielinski over Cicero) worde voorafgegaan door een dergelijk onderzoek van de werken der kunst, in het bijzonder der bouw- en decoratieve kunst van dezelfde periode, en dat de resultaten van dit laatste onderzoek ten grondslag worden gelegd aan het eerste.


XX.

Het is wenschelijk, dat in de hoogste klassen van het Gymnasium, althans facultatief, onderwijs worde gegeven in de classieke archaeologie.


Legenda ad imagines.




1



2



3



4



5



6



7



8



9



10



11



12

13



Index